ARTIS
Conservandi Sanitatem LIBRI duo,

A
Clarissimo D. Doctore LIDDELIO *defuncto delineati,*
Atque Opera & Studio,
D. PATRICII DUNÆI, M. D.
Ad Colophonem perducti,
& in apricum prolati.

Donaldson



ABERDONIÆ,
EXCUDEBAT IACOBUS BROUNUS,
ANNO 1651.


BON. ACCORD
Insignia Urbis Abredonie.

AMPLISS. & CLARISS. VIRIS,

D. ROBERTO FARCHARDO,
De Muney, Consuli primario,

D. GUALTERO COCHROMO,
D. IHOANNI LESLÆO,
D. ALEXANDRO BURNETO,
D. PATRICIO MORO;

Consulibus Prudentissimis, Spectatissimis, Amicis singularibus reli. *quisq; senatoribus dilectissimis,*

D. D. C.

PATRICIUS DUNAEUS, M. D.
PHYSICUS ABREDONENSIS.

POst *in Patriam reditum, Viri Clarissimi, nil magis mihi fuit, in votis, quam* Præceptoris Clarissimi LIDDELII *jam pridem defuncti, lucubrationes in*

lucem prodirem. Quare qua potui diligentia, cuncta ab eo conscripta, De Dieta, *in unum colligenda operâ dedi. Sed cum imperfecta, admodũ advertissim. quæ deerant supplère in animũ induxi. Vt nominis illius celebritas, quam apud Germanos, quibus intercedit, cũ mansuetudine, & humanitate commercium, publicè docendo obtinuit vivus. Post mortẽ, hoc posthumo monumento, etiam cunctis literatis innotescceret, quod multo antea, à me inchoatum, non raro ingruentibus negotiis vitaq; occupationibus, intermissum: jam tandẽ ad colophonem perductum, opus à multis desideratum, sub nominũ vestrorum splẽdore, in lucẽ edendũ curavi, quod patres Patriæ, curam hujus civitatis habueritis, contraq; adversarios pro virili defenderitis, multaq; alia beneficia cãtuleritis, vt omnibus constat. Quare hoc qualecunq; munus, nõ vt amicorum, est enim sane leviss imum; sed tanquã perpetuæ in vos observantiæ nostræ pignus aliquod accipite: & ad relaxandum, animum ant ad arbitrium vestrum vtimini fruimini.*

PRÆFATIO
AD LECTOREM.

CUm vita nostra in calore nativo consistat, cujus fomes, & pabulum in quod agit: atque depascit. Sit humidum primogenium, aërium, & pingue, quæ marcescente, & deficiente ætatis decursu: Vel ab humorum copia obruto: Vel qualitate aliqua maligna corrupto; innatus calor præfocatus extinguitur, vel promptissimè dissolutionem patitur. Ex contrariorum etiam in corpore nostro pugna, gravissima mutatio, subindeque dissipatio sequitur; divulsa vinculo, exhaustaque quæ dissidentium actionem, sustinet substantia, ad mortem celeriorem, via præstruitur.

Facilè quoque connata omni genito animanti, corruptela, interitusque necessitas, elucet. Quod

indies

indies ſiccius indeque gracilius, macilentius, & rugoſius redatur. Tandemque exhauſtis viribus vita privetur; vt noſtrum ſeneſcere: nil aliud ſit quam ſicceſſere, qua Philoſ. cap. 17. lib. De Reſpira. Declarat inquiens cum calor vitalis non frigeratur, tum enim idem ſeipſum conſumit: Quoties igitur aliis pulmo, aliis branchia. Obdureſcunt pro temporis longitudine exſiccatis, his quidem branchiis illis vero pulmone, & terreſtrioribus redditis, has particulas movere, hoc eſt attollere, & comprimere non poſſunt: Ac tandem accedente intenſione, calor ille obſileſcit.

Quocirca & parvis affectibus in ſenectute ſubortis animalia cito commoriuntur. Nam quia calor exiguus eſt, vt qui plurimus per vitam, qua longa fuit diffluxit; ſi qua intenſio parti illi ſupervenit celeriter extinguitur. Quam admodum cum tenuis, & exigua flamma, in eo ineſt; parvi motus opera extengui ſolet, &c.

Unde morari ſubit, quid induxerit Paracelſi animum vt ſcriberet, Capite 8. Lib. 1. De vita longa eſſe quam plurima ariana ſpagirica artis, qua corpus ſemo confectum, priſtinæ inventuti quoquoverſum reſtituunt: Et ab omni agritudine liberum reddunt, vt tantæ ætatis Adami cauſa fuerit, Magia ex cujus influentia vixit. Ideo miſeram ait & poſteris ſemper deplorandam

Adami

Adami mortem non tam propter lapſum, quam propter ſcientiam quæ vna cum illo interiit, qui ſpiritum ſummæ vitæ præter id quod naturæ erat ſolus retinuit. Idem de Methuſalem qui proximus Adæ fuit iudicandum cenſet. Inſuper ſtatuit viaam eſſe mumiam balſamicam quandam, quæ mortale corpus conſervat, à mortalibus vermibus, & eſchara, cum impreſſa liquoris ſalium commixturæ: Mortem balſami deminium, mumiæ interiium, ſalium vltimam materiam.

Deinde cerpus vitamque hominum duplicem Phyſicam & Cœleſtem, ſeu ſupernaturalem: In hac vitam longam conſiſtere; in illa minori, ejuſque corpore mortalitatis ſubjectum atque has duas formas, in longa vita conjungi, juxta Prædeſtinationem terminumue à natura deputatum. Præterea Phyſicam vitam; ni ſuæ mumiæ innatæ conſeavari ad vitam ſanam, ſed non ad longam, quia terminus eſt pro Phyſico corpore. Ideo huic ſpecifica illa convenire, & vitam longam vna cum morte manere poſſe. Ac tantiſper dum ſpiritus nature manet corpus Cœlcſti ſervare: Atque hanc vitam præter naturam in vita Phyſica hominem aſſequi.

Nam opinatur vniverſam Phantaſiam, & imaginationem principale, & præcipum aſſe in corpore ſupercœleſti: Et vt corpus natuaale ſe in ſua conſervat ſubſtantia, ſic ſupernum illud in imagina-

ginatione. *Nam quicquid ad Phantaſiam attinet ex eo duntaxat eſt corpore, quin eſt corpus ipſum. Proinde magiam patefacere corpus quod ſecundum naturam eſt à corpore quod præter naturam exiſtit, & valuti imago inſitum ſuſtineri, & adminiſtrare vt diverſos, & longè diſſitos ſenſus, æquales cogitationeſque incognitas, cognitas abſens reddat: Ideo ſuper Cœleſte, probe cognitum habere opportet magum, vt per influentias, ſua imaginatione corpus cœleſte, aliquo cogere queat: Atq; per eas quæ infimis materiis favorem ſuperiorem conciliant, Cœlumq; terræ maritant multis præter, naturam vitam longam conſervaſſe; alios falſo transformaſſe deltica quadam impreſſione aliquos vita aliena vixiſſe attractis per imaginationem alterius viribus, & natura.*

Quatam impia & abſurda ſententia, ſeu potius impoſturæ diabolicæ, quid veri habeant, vel exipſo Paracelſo liquet. Nam licet magiam veram vna cum Adamo interiiſſe ibidem aſſerat. Poſteroſque nullam certam iſtius cognitionem tenuiſſe, ſemet ipſos & alios ſeduxiſſe, incantationes exercuiſſe; tamen magiæ ſcientiam profitetur: Et quæ ad longam vitam Mahomet, non à DEO; *ſed ex ea quæ præter naturam eſt influentia, magis imperito populo quam ſibi exercuiſſe: Archæum, magoſque ſabeos, qui ad* CHRISTUM *venerunt*

nerunt peritos iſtius artis fuiſſe, non ſolum in eo quod vita longa erat; ſed ejus etiam qui præter naturam eſt intellectus.

Verum Moſen quem omni ſapientia Ægyptiorum, non fallaciis inſtructum fuiſſe conſtat: Alioſque primævos patres, ſtatim poſt diluvium tot annos compleviſſe non pro ratione magiæ; ſed vitæ Phyſicæ, cui natura ita valide fuit conjuncta: Ut iſtuc ætatis nullo negotio attigerint, alios hoc tempore idem præſtare, uſu arcanorum ſpagyricæ artis, ex metallis mineralibus, ut auri potabilis, lapidis Philoſophici, & quæ ex Antimonio ſimilibuſque eliciuntur: Cujus nullam in ipſo Paracelſo, cæteriſque artis ſpagiricæ magiſtris experientiam videmus. Ut magis nobis Philoſophi illius ars probanda ſit, qui Authore Galeno Lib. De Maraſmo, Cap. 2. Suo Tempore volumen conſcripſit, De αγηρασια quo pacto quis ſenii expers perpetuo maneat, & cum nonogenarius factus, gracilis ſiccuſque more decrepitorum redditus, irrideretur. Nonam editionem de admirabili αγηρασια in lucem edidit oſtendens non quemlibet ſenii expertē perſiſtere: Sed ad hoc opus natura accommodata, pollicebaturque ſe infantum qui ad hac idonei, eſſent redditurum corpora immortalia ubi ipſe eorum curæ ſtatim initio præficeretur: Minimeque ejus reprehendi poterat pollicitatio:

Cum

Cum prius illi moriendum erat quam quos ſuſcepiſcet pueros viri enaſiſſent. Ideo ſummum ejus ſtultitiam omnes contemſere: Sed ille per rationem aliquam fortaſſe probabilem deceptus videtur, at quid de Bombaſto, Spagiriciſque ſentiendum ſit videant omnes: Cum nec experientia, nec rationi quæ aſſparentiam aliquam veritatis præ ſe ferat vitantur. Non multo probabiliora videntur, quæ à Marcitto fripuo, Lib. de vitam cœlibus comparandam ex Plotino traduntur: Licet ex hoc ipſo quoque vt illa Paracelſi magica ſint, è Magiæ fandamentis deſumpta. Quæ ipſe Marcilius ſe potius narrare quam probare, & commemorere quam confirmare multis in locis illius Libri profitetur. Etiamſi Medecinis Aſtrologiæ, de Lectu factis plurimum tribuat, cæteriſque præferat: Vt inter hujuſmodi, & alias tantum interſit, quantum inter aquam & morum.

Verum enimvero tanquam inanes à Cardana virtus corporum cœleſtium niuſium concedenti, Cap. 20. Lib. 1. De Sanitate conſervanda cum ſint abſurdu, & à Medica ſcientia alienæ merito rejiciuntuat. Quocirca vt adverſariis, & capitalibus hoſtibus vburam eatur, ſtudio omni & diligentia curandum, vt ſi non entata, quantum tamen fueri poteſt retardata mors, ſua tempore recedat. Ideoque ab ea nullius Medici peritia homines vindicari

dicari quaunt: Hoc tamen consequuntur, vt humiditatis consumptio aliquantulum inhibeatur: Modo dieta inprimis habeatur ratio quæ ad Diateticam omnium Medicinæ partium vtilitißimam, & excellentißimã, maximè spectat: Vt tanto reliquas superet, quanto prestantius est Morbum non admittere quam admissum è medio tollere hanc excolere Clarißimus D. Leddelius *aggressus: Sed prematura morte sublatus inchoatam, & adumbratam tantum reliquit. Mei itaque muneris esse putavi, pro singulari quo me complexus est amore, dum illius auspiciis Medicinæ, in Illustri Academia Julia, operam navarem, pro ingenii tenuitate ad vmbilicum perducere quod mihi arduum supraque vires videbatur. Animum tamẽ addidit frequens sollicitatio D.* Alexandri Ieffraii Consulis Abredonensis Prudentissimi, *vt potius famæ jactura subeunda sit quam opus intentatum relinquendum. En ergo, Candide Lector, Clarißimi D.* Liddelii ὑγιεινὴν *posthumam ex qua non solum rudiores sed & doctiores, fructum & vtilitatem perceptaros confido.*

F J N J S.

S. M. Doctoris nunquam satis laudati
WILHELMI IOHNSTONI, M. D. & Matheseos in Academia Marischallana Professoris Clarissimi.

Quid lachrymæ, quid mœsta mihi modulamina prosint?
Nulla dolore licet vincere fata pio.
Exemplo Iohnstonus *erit, tibi Phœbe socer-*
Seu Medici partes sive Maronis agas. [dos,
Seu libeat cælo percurrere sydera, vasti
Seu maris indomitos dinumerare sinus.
Nil tamen herbarum vires, nil dulcia vatis
Carmina flexanimi vincere fata queant.
Exemplum ô rarum! fulvo speciosius auro
Quod novies ophyres fervida flāma coquit.
Hic ille Euclides alter, quin flore juventæ
Usq; Syracusio par fuit arte seni.
Adde quod ingenium comitata sit integra vita,
Innocui mores, innocuiq; sales. [*Frons hilaris semper, mens incōcussa, serena,*
Quo res cunq; loco, juris & ipse sui.
Desino; sitq; sat hoc; Arturi *ingētis & ingens*
Sit fratris fratrem laus cecinisse suum.

David Wedderburnus.

D. IOHNSTONI MORIENTIS Ad D. PATRICIUM DUNÆUM, M. D. & Gymnasiarcham PROSOPOPOEIA.

DUnæe Hippocrates Scotorum, patria per flat
Littora quâ Boreas, quâ cynosura nitet.
Te mihi nativo sociavit fœdere sanguis:
Te mihi perpetuo fœdere junxit amor.
Dum vixi, Tibi testis erat mea vita, suprema
Nunc Tibi mors rerum linea testis erit.
Quà quia subducor, Nemausum pectore condens
Vive, Vale, & prolis sis memor usque meæ.

IDEM.

Amico sinceriſſimo, Collegæ dilectiſſimo.
Respondet mœstissimus
PATRICIUS DUNÆUS, M. D.

TU Vivis, curaque vales semotus ab omni
Rebus in humanis; stelliferique poli
Incola, me tristem linquens, solamine vitæ
Orbatum: superest nil nisi luctus edax,
Mi comes assiduus, mortales carpier auras
Dum licet, & miserum semper in ore melos.
Nec gratum quidquam est animo, cœlestia regna
Donec tecum habitem, cœlicolumque thoro.
Hic Paradisus adest, nec non gratissima Tempe
Gaudia suppeditant, non numeranda mihi.
Non dissolvetur quod nos conjunxit amore:
Hærebuntque animo pignora cara thori.

ERRATA TYPOGRAPHICA

Sic emenda prior numerus Paginam, ſecundus lineam deſignat.

PAg. 1. linea 14. abi. pag. 2. l. ne. 3. 21. tenuiore 4. 21. ambiens 5. 17. quam 6. 11. tes 7. 24. ent 8. 5. hac 8. 13. dat 9. 14. len 10. 8. les 13. 21. mittant 14. 15. radicati 14. 24. nam 15. 3. lio 15. 8. meum 21. 10. prunorũ 25. 2. ent 25. 14. qui 28. 21. perato 30. 11. quia 32. 15. vires 39. 15 ſatiant 40. 10. vẽtris 44. 2. conviviales 44. 3. refert 45. 9. coctu 45. 26. alterari 50. 29. pinguia 53. 19. oleoſaque 54. 15. mero 61. 9. ſenioribꝰ 63. 20. quia 64. 10. op 73. 3. motem 74. 15. ſo 73. 21. netur 77. 15. dus 77. 19. ſumis 27. 20. tronique 77. 27. conturbat 99. 1. roſa 99. 29. dolore 100. 20. vit 101. 20. ro 105. 26. tem 109. 23. vero 115. 8. len 115. 14. adhibiti 117. 24. exſui 117. 26. fæces 117. 28. anum 121. 9. rap 122. 18. ſpontanea 123. 27. fibras 129. 21. varium 129. 23. ſternutatione 130. 13. invert

ERRATA.

13. inveteratorumque 136. 1. Pil 141. 7. voca 152. 11. nihil 153. 9. vel obesiores 157. 24. destitutns 158. 12. in 161. 2. raro 161. 20. rem 161. 22. ducit 161. 23. effec. 162. 18. inferna 163. 4. movetur 165. 5. bus 165. 21. torium 168. 10. armatam 168. 28. vis 176. 6. nes 179. 11. quæ 179. 17. mis 180. 7. sudor 183. 1. antem 184. Pol 189. 7. solium 194. 5. dicta 206. rearum 206. 16. privis 208. 11. tor 209. eque 209. 15. lumbos 212. 16. fe 213. 5. nio 213. 12. eis 214. 14. nimium 121. 11. infestat 222. 3. decet 223. 6. Avicenna 223. 12. Aegina 224. 16. te 225. 1. illo 229. 7. pluri 309. 24. mature 324. 17. vinum 327. 6. nus 349. 5. inhibentur 356. 25. ta 372. 21. reperit 377. 25. rum 381. 19. ab 410. 4. SARACENI. 441. 6. conserva 448. 10. g.

FINIS.

In Liddelii & Dunæi Medicorum ὑγιεινὴν EPIGRAMMA.

Ante mortem conscriptum.

COs tulit Hippocratem, Galenum Pergama, tantis
Una fuit nimium patriæ stricta viris.
Iactat utrique pares tamen Abrædonia cives,
Dunæum Medicum Liddeliumq; suum.
Cargillum adjicias, urbis ni fallor alumnos
Unius tales patria nulla tulit.
Tantaque non dubito si fert tria lumina tellus
Quin cœlum soles possit habere duos.

G. Jonstonus, D.

Matheseos Professor.

ARTIS SANITATIS
Conservandæ Libri primi,
Caput Primum.

Quid ὑγιεινὴ & quæ partes ejus Cap. 1.



Cum Medicina sit ars, sanitatem corporis humani præsentẽ conservans, absentemq; restituens: duæ ejus partes erunt, quas primas maximasque Gal. vocat; Harum una ὑγιεινὴ; id est, salubris appellatur; quæ sanitatem præsentem, in suo statu conservat, & ab imminentibus malis defendit; altera θεραπευτικὴ nuncupatur, quæ sanitatem labefactatam restituit morbosque à corpore removet. Quoniam autem sanitas, dignitate & tempore morbum præcedit; ideo quomodo conservanda sit illa, prius, postea qua ratione hic sit abugendus, cu-

randuſque tractandum in præſenti opere. Verum cum ſanitas, nec præſens conſervari, nec amiſſa reparari queat, ſi quid ea ſit penitus ignoremus: Sanitatis itaque & morborum conſideratio, exactaque cognitio utriuſque parti Medicinæ neceſſaria eſt. Conſiſtit autem ſanitas, in debita ſimilarium & diſſimilarium conſtitutione ſive in bona ſimilarium tempere, & diſſimilarium idonea forma, figura, juſta magnitudine, numero, apto conſenſu, ſitu ac utriuſque naturali unione, quarum una vitiata, ſanitas neceſſario de ſuo ſtatu dimovetur, morbuſque ſuboritur. Quare quicunque convenientem ſimilarium & diſſimilarium conſtitutionem, commodiſſime tueri poſſit, is optimus ſanitatis conſervator erit. Tuebitur autem eo melius, ſi omnes modos quibus ſanitas detrimentum patitur, compertos habuerit. Nam ſcopus artis ſalubris eſt ſanitas quæ unica abſolutè citra omnem latitudinem, in cunctis non eſt ut patebit inferius: officium, eam adhuc præſentem in corpore conſervare, & à morbis vindicare. Inſtrumenta ſive media hæc producentia ſunt ſimilia natnræ amica & congruentia. Cum ſanitas nil aliud ſit quam ſymmetria, ſive moderatio quædam, ut morbus immoderatio. Moderata illa circa quæ ars ſalubris occupata eſt, præcipuè ſunt legitimus uſus, ſex rerum non naturalium ut mox dicetur decet enim Medicum ſanitatem ſimilibus; id eſt, moderatis in ſuo ſta-

tu co

in conservare, sed morbos imminentes, aut mala sanitatem corrumpentia contrariis submovere. Corrumpunt autem sanitatem in genere duplicia: alia nobiscum congenita, & ex ipsis generationis primordiis, veluti radice exorta, quæ vitare nemo poterit. Alia aliunde sive extrinsecus profecta, quæ tamen non minus quam priora, corpus nostrum alterant sed quorum incommoda consilio effugere licet; generationis autem nostræ principia sunt semen & sanguis, quæ iisdem genere elementis constant quamvis inter se temperamento differant; cum in semine plus aëreæ igneæque sit substantiæ, in sanguine plus aqueæ & terreæ, ac ratione generationis gemina coruptela & interitus necessitas nobis competit. Unde cum cæteris omnibus communis ob contraria quibus constamus elementa: altera animatis propria nimirum totius substantiæ corporis suor quem insitus calor initio generationis ex semine resultans incessanter promovet, in perfectiori, termurare & humidiore portione illius, ut in proprio subjecto convenientique pabulo, fundatur quod humidum radicale & primogenium vocatur, ac per singulas fœtus partes disseminatur ut commune animæ instrumentum, omniumque facultatum custos, sed copiosius, & efficacius in corde locatur hoc calidum flammæ comparari solet nam humidum suum & substantiam partium assidue depascit, & in halitus resolvit,

atque tamdiu naturaliter durat quamdiu humidum. Quare in principio generationis ut in pueris ſua ſubſtantia copioſius puriuſque eſt, deinde procedente ætate tum ſiccius, tum violentius efficitur donec ad ἀκμὴν ſive ætatis conſiſtentiam animal pervenerit quo tempore membrorum incrementum ſiſtitur & viribus ſummis fruitur, hinc ſenſim cum ætate decreſſente nonnihil humido, & membris omnibus paulatim areſcentibus calor nativus una minuitur, & partium omnium officia minus probe adminiſtrantur, ſenectus, inducitur, tandemque abſumpto planè humido radicali, penitus extinguitur, & mors naturalis conſequitur. Externæ verò cauſæ ſanitatem corrumpentes: vel neceſſariæ ſunt, vel fortuitæ neceſſariæ autem ſunt; ſine quibus vitam traducere impoſſibile eſt, ut ſunt ſex illæ cauſæ quæ Medicis non naturales vocantur: quia per ſe nec ſecundum, nec præter naturam ſunt, ſed moderato vſu ſanitatē conſervant, immoderato labefactant ut aer ambies, cibus, potus, excreta retenta, ſomnus vigilia, motus quies, animi pathemata. Non neceſſariæ ſive fortuitæ, ſunt cæteræ cauſæ externæ ut lapſus, tela, gladii, aliaque innumera, atque hæ in genere ſunt cauſæ quibus ſanitas de ſtatu ſuo deturbatur. Verum ut poſtea latius declaratur ars hæc à naturali morte cauſiſque congenitis nos immunes reddere nequit nec à fortuitis, ſed ab externis neceſſariis

in quarum legitimo moderatoque usu, consistit sanitatis custodia itaque sex illæ res non naturales, causæ salubres à Gal. Lib. Art. Med. dicuntur circa quas versatur ὑγιεινὴ. Cum igitur tot tamque variæ sint causæ, corpus hostrum alterantes, vnica ipsius sanitas, citrà omnem latitudinem, esse non videtur, quod ex ipsius quoque functionibus manifeste apparet. Nam cum sanitas sit constitutio corporis, secundum naturam, functiones inculpatas bonasque producens morbus constitutio contra naturam actiones per se lædens ideo ex functionibus propriè sanitatem & morbum discernere & distinguere rationi consentaneum. Verum cum sensus ad cuncta vitæ munera vbique judex sit; ideo actionis vitium præter naturam non ante à morbo fieri dicemus, quàm sensibus evidens fuerit licet minus perfecta; sed à sanitate. Itaque sanitas indivisibilis non erit nec unica absolutè, sed quæ à perfecta deficit modo vitæ usibus conveniat, sanitas etiam erit, deinde sanitatem cuncti requirunt ad vitæ functiones quas morbi impediunt, intercipiunt, vel auferunt: & vt molestia sive dolore careant, ea igitur corporis constitutio, in qua nec in vitæ actionibus impedimur, nec doloribus cruciamur, quid aliud quam sanitas erit? Non enim quævis operationum imbecillitas, morbi nota est, nisi præter cujusque naturam sit. Siquidem ut scribit Gal. omnes malè cernimus si cum Lynce, & ma-

nibus non valemus, ſi cum Milone comparemur, præterea quibus natura non debit, vt, acutè, videant, audiant, functionemque aliquam validè ſtrenueque obeant, eos morbo teneri non exiſtimamus: non tamen, æquè vt alios, qui eas feliciùs ac exquiſitiùs exercent, per omnia ſanos: nam correſpondent conſtitutionibus opera; ideo tot erunt conſtitutionum deſcrimina, quot functionum differentiæ quæ cum numeroſæ ſint æquè multæ conſtitutiones erunt non ipſa communi omnium forma; vndedictæ ſunt ſanitatis. ſed majoris minoriſque ratione inter ſe diſcrepantes, vt nivis candor, ab eo qui in lactè viſitur. Gal. tamen Lib. 1. de Sanit. Tuend. Cap. 6. duplicem ſtatuit ſanitatem, vnam exactam, abſolutamque quantum ſenſibus adverti queat, de qua planè quæri non ſit, alteram non exactam, de qua quæri liceat. Verum Lib. de Tuend. Sanit. ad Thraſybulum, Cap. 7. Sanitatem diſtinguit in eam quæ eſt κατὰ ἕξιν καθ' ἑξὶν & εὐεκτικὴν. Sanitas autem quæ in habitudine tantum conſiſtit neutris corporibus debetur, quæ licet actu non ægrotent, nec functiones ſenſibiliter læſas habeant, firma tamen valetudine non fruuntur, ſed vel minima occaſione oblata in morbos labuntur. Neutralitas hæc vel eſt convaleſcentiæ, vel decidentiæ. Covaleſcentiæ autem, quando à morbo ad ſanitatem vel ab infirmiore valetudine ad meliorem tendunt deciden-

tiæ

tiæ verò cum quis in ſanitatis limitè conſiſtens ſemina aut initia morbi concepit, ita vt facilè progreſſu cauſarum lædentium morbis reddatur obnoxius. Cauſæ illæ ſunt plethora, cacochimia, inanitio, cruditates, membrorum debilitas, &c. Sub vtraque neutralitate comprænditur diſpoſitio ſenum, qui licet actu non ægrotent, conſtantem tamen ſanitatem, propter debiles actiones non poſſident facileque in morbos incidunt. Ideò ſenum valetudo, ad neutralitatem decidentiæ ſpectare videtur. Verum quia imbecilles actu ſunt & vt convaleſcentes parum ſpirituum & ſanguinis parteſque ſolidas exſiccatas obtinent: ea itaque ratione eorum conſtitutio ad neutratitatem convoleſcentiæ referri poterit. Deinde ſanitas in habitu ſtabilior eſt & ad actiones firmior; quàm ea quæ in habitudine, & injuriis minus opportuna: Sed non æquè vt bonus habitus ſive corpus εὐεκτικὸν. Verum media eſt fere inter bonum habitum, & ſanitatem in habitudine. Nam bonus habitus, optimaque corporis conſtitutio, conſimili temperamento prædita eſſe debent, & diſpoſitionem partium omnium ægregiè ad functiones comparatam habet, ſi corporis habitum reſpicias, exquiſitè mediocritatem vindicare reperies, inter gracilè & obæſum, molle & durum, glabrum & hirſutum, nigrum & album, &c. Si animum conſideres nec iracundum, nec ignavum dixeris, nec ſomnolen-

tum aut pervigilem, nec hebetem aut nimis acrem, nec in venerem pronum, nec ab ea alienum; sed inter hæc extrema medium. Præterea ad labores corporis animique sustinendos firmum & idoneum; ab hoc optima constitutione deficit, non parum, quæ simpliciter in habitu consistere dicitur: ac multò adhuc magis plurimumve quæ in habitudine.

Cum igitur Sanitas, quàm ars salubris sartam tectam conservare tenetur, triplex sit: ars quoque ipsa triplex erit. Una qua corpus ἐυεκτικὸν sive exactè sanum accipiens, ne ab eo ipso gradu, in quo consistit dimoveatur operam eat, & ἐυεκτικὴ, ac etiam φυλακτικὴ dicitur. Altera Sanitatem corporis in habitu, sed non exactè robustam, perfectamque respiciens ne quicquam detrimenti patiatur, sedulo curat. Atque generis nomine ὑγιεινὴ vocatur. Tertia Sanitatem in habitudine suscipiens, ad meliorẽ statum firmioremque valitudinem reducit aut saltem à morbo defendit. Hæc προφυλακτικὴ, prælervatrix communiter appellatur, & à Medicis tempore Gal. ἀναλειπτικὴ, id est, resumptrix sive restau atrix, licet ἀναληπτικὴ & ἀναθρεπτικὴ iis propriè conveniant, qui à morbo reficiuntur & convalescunt. Differunt hæ tres partes, majoris minorisque ratione; nam ἐυεκτικὴ exigua & ferè insensibilia vitia, corrigit; ὑγιεινὴ propria

prìè dicta parva, προφυλακτικὴ adhac majora resarcit. At θεραπευτικὴ magna manifestaque emendat, curatque. Sumitur autem προφυλακτικὴ nõnunquam late, communiterque; interdum proprie. Communiter neutris tam convalescentiæ quam decidentiæ tribuitur, atque etiam ægris in morbis, qui à causis foventur, vt progressus illarum impediatur proprie vero neutris decidentiæ tantum debetur, & corporibus quæ actu non laborant, sed causas morborum conceperunt, vt illæ adhuc latentes ne morbum producant eximantur. Verum discrepat hæc præservatio ab illa quæ in therapeutica requiritur ad causas morborum tollandas impediendasque; nam hæc in neutris causas submovet quæ morbum tantum minatur, ne ægrotent; illa vero in ægris causas audimit quæ actu morbum fovent augentque; ideo cum curatione conjuncta est. Deinde differt præservatio hæc à conservatione proprie dicta, Græcis φυλακτικὴ, quæ pristinam tantummodo Sanitatem in suo statu retinet. Verum Lib. Artis Med. Cap. 86. quæcunque Sanitatem in suo tenore conservant, communi nomine conservativa nuncupantur, sive prestinum tantummodo habitum defendant, vt conservativa proprie dicta, sive præter id quod conservant ad melius temperaturam traducant, ac ab vlteriori lapsu protegant, quod

genus

genus cauſarum potius præſervativum & alterativum ac naturalium defectuum correctivum, quam conſervativum vocandum. Sub præſervativa continetur primum ἐπανορθωτικὴ quæ corpora & membra debilia-nondum morbo affecta paulatim corrigit. Deinde ἀναληπτικὴ ſive ἀναθρεπτικὴ proprie dicta quæ convaleſcentes, ſive à morbo liberatos debites tamen defectu ſpirituum ſanguinis & ſolidæ ſubſtantiæ reficit, ac ad priſtinam Sanitatem reducit. Tertio γεροκόμικὴ, quæ ſenum curam ſuſcipit, qui licet non ægrotent nec pruprie convaleſcant, levi tamen momento in morbos decidunt & Sanitatem incertam poſſident. Eorum ſimilem qui à morbo valetudinẽ recuperant ob virium imbecillitatẽ & inopiam ſpirituum caloriſque nativi. Inſtrumenta omnium operationum medicarum, auxiliorumque materiæ tres præcipuæ ſunt, Chirurgia Pharmacia & Diæta, ſub qua continetur Gymnaſtica, non athletarum, ſed illa veterum cujus meminit Plato 7. de Legib. ac exercitium quod Gal. Lib. de Sanit. Tuend. ad Thraſybulum à victus ratione diſtinguit. Hæc præſidia inſtrumentave operationum omnibus ex æquo non conveniunt; nam ægrotantes in multis Chirurgiam Pharmaciam & victus rationem poſtulant, minime verò exercitationem. Exquiſite autem Sanis victus ratio & exercitatio neceſſaria

ria eſt: non Medicamenta aut Chirurgia. Reparat enim Therapeutica majora vitia, ideo majora remedia, Pharmaciam ſiz. & Chirurgiam requirit, quæ morbos & morbi cauſas exſtirpant, ac victus etiam rationem in cibis tantum, pro virium indigentia, ſi non prohibeat morbus, exigit. Contra ὑγιεινὴ, quia præſentem Sanitatem propugnat & leviora tantum vitia corrigit, majoribus illis remediis non indiget, & fere ſola victus ratione contenta eſt, niſi interdum in neutris præcipue recidentiæ. Quare commoda victus ratione, quæ in moderato vſu ſex rerum non naturalium conſiſtit, ars conſervativa Sanitatis potiſſimum abſolvitur; & vt ſupra diximus circa ſex illas res non naturales earumque legitimum vſum verſatur Verum illud ante omnia (ex prœmio Lib. 5. CORNEL. CELSI) ſcire convenit, quod Medicinæ partes ita innexæ ſint vt ex toto ſeperari non poſſint; ſed ab eo nomẽ trahant à quo plurimum petunt. Plurimum autem petit ars Tuendæ Sanitatis à victus ratione, etiamſi Medicamentis interdum vtatur; ergo vt illa quæ victu curat aliquando Medicamenta adhibet, ſic quæ præcipue Medicamentis, aut Chirurgia pugnat in vſum deducere etiam rationem victus debet. Nos itaque hic de victus ratione quæ Sanis proprie competit agemus.

De

De Diæta, Cap. 2.



UMANUM corpus si impatibile & inalterabile foret, perpetuo sibi simile maneret, & nullo artis Medicæ præsidio indigeret; sed quia varie mutatur & corrumpitur, nec eundem prioris status tenorem servat, ideo auxilium desiderat. Alteratur autem corpus, Sanitasque de statu suo demonetur causis, vel intrinsecis congenitisque, vel extrinsecis, & his aut necessariis, aut non necessariis fortuitisque. Necessarias hic voco, sine quibus vitam ducere impossibile est, & quorum moderato vsu, Sanitas conservatur. Immoderato labefactatur; reliquas externas non necesarias. Nam necessarium primum ad vitam est, aerem ambientem perpetuo respiratione attrahere ad caloris nativi contemperationem, spirituumque generationem; quin & idem, corpora nostra semper extrinsecus attingens, pro qualitate sua temperata aut vitiosa, Sanitatem immutat. Deinde cum substantia corporis nostri sit in assiduo fluore nisi pro ea, quæ defluxit, similis restituatur, necesse erit brevi corpus exhauriri, tandemque interire; quare natura initio animalibus vires indidit,

didit, deficientis & desiderati semper appetentis, nimirum cibi potusque atque etiam aeris per respirationem & pulsum. Nam cibo quicquid siccioris deperditum est, vi facultatis naturalis restauratur potione, quicquid humidioris, respiratione vero & pulsu, aereæ igneæque substantiæ modum tuemur; ac ad pristinam symmetriam totum corpus reducimus, si legitime moderateque singula adhibeantur. Præterea quoniam quæ eduntur & bibuntur talia non sunt quale illud quod à singulis partibus labitur, ideo naturæ fuit consentaneum ea mutare concoquere, & quam maxime fieri poterit corpori alendo similia reddere; in qua operatione ex eo quod non conficitur nec aptum est vt partibus agglutinetur assimileturque inutilium excrementorum copia in corpore suboritur, ad quam expurgandam ipsa natura non solum instrumenta quædam instituit, sed etiam iis facultates indidit, quibus incitata aliqua ad se trahant; nonnulla aliis transfuntant, quædam è corpore expellunt. Quare ne corpus excrementorum redundantia lædatur, sed ab ea purum servetur: nec functiones partium imbecilles, nec vasa impedita debent esse. Nam cum scopus salubris victus sit, quod exhaustum est reficere, & inutilia ejicere, si secundum naturam ad nutriendum apta retineantur & supervacanea debite expellantur, Sanitas in suo statu retinetur alioqui tandem

tandem neceſſario peſſundatur. Eadem eſt ratio in cæteris ttibus rebus non naturalibus, quia ad vitam Sanam conſervandam, non major fere neceſſitas eſt, prædictatum quam ſomni & vigiliarum deinde quietis & motus: tandem affectuum animi, nam horum quoque moderato vſu valetudo ſuſtinetur, immoderato labefactatur, vt ſuo loco ſeorſum demonſtrabitur. Quare hæ ſex res non naturales cauſæ ſalubres à Gal. vocantur circa quas ὑγιεινὴ proprie verſatur, ideo non circa cauſas fortuitas, nec congenitas. Nec enim ab extrinſecis imminentibus telis, gladiis, & ſimilibus malis, ars iſta nos tutari nec à ſenectute morteque naturali & conſumptione radicatis humidi vindicare poteſt, licet nimis citam illius corruptionem & immaturam canitiem impedire queat, donec ætatis decurſu exhauſto diſſipatoque humido primogenio diſſolutio animæ & corporis hominem extinguat; cujus neceſſitas omnibus animatis inevitabilis eſt. Moderatus vſus & legitima adminiſtratio ſex rerum non naturalium à Medicis frequenter Diæta appellatur. Verum nomen illius non ſemper eodem modo ſumitur non apud Ariſt. 2. Polyt. pro Concilio judicum vſurpatur ſicut hodie à Germanis pro Conventu Principium: jureconſultis habitationem in hortis ſignificato amenitatis & voluptatis cauſa exſtructam. L. 43. §. 1. ff. de Legatis & Fideicon. L. pænul.

§. vlt

§. vltimo ff. de donatione inter virum ex vxorem. Quamvis etiam pro quocunque cœnaculo seu triclinia accipiatur vt L. 13. §. Sed si ff. de vsu Fructu, L. 32. ff. de Denatio. Unde scribit Plutarchus in vita Antonii, & Strabo Lib. vltimo Alexandriæ ab Antonio ædificatam Regiam Diætam quam Timonium appellavit. Suetonius Lib. 5. Diætam Claudii Hærineum vocat, & Plutarch. Luculli Diætam Appollinem cognominari ait, vbi summo impendio parabantur convivia vnde cælebratissima est illa vox, cœnatur in Appolline, apud Hipp. & Gal. secundo Pror. & 1. Epidem. communissime interdum pro quacunque re corpori nostro occurrente ipsumque alterante sumitur. At vsitate magisque proprie nil aliud est Diæta, quam quod Latinis victus ratio dicitur; vnum nimirum ex tribus instrumentis Medicinæ ea omnia complectens absque quibus Sanis hominibus vitam ducere impossibile est; qualia sunt sex illæ res supradictæ quæ non naturales ob id vocantur, quia per se nec secundum, nec præter naturam humano corpori sunt, sed naturæ vtiles aut noxiæ, sive causæ salubres, aut in salubres efficiuntur, pro ratione bene vel male vtentium, Nam earum moderata & legitima administratione Sanitas conservatur, immoderata vitiatur morbique nascuntur; quare Diæta hoc modo sumpta erit legitima administratio, sive moderatio

ratio ſex rerum non naturalium gratia Sanitatis primum conſervandæ, deinde amiſſæ reſtaurandæ. Demonſtratum eſt præcedente Cap. ſolam victus rationem Sanis ſemper neceſſariam eſſe, & artem ſalubrem quia levia peccata tantum corrigit Diætâ contentâ eſſe. At therapeuticam quoniâ à majoribꝰ vitiis ſive morbis liberat ideo ad curationem magna remedia, ſcilicet Chirurgiam & Pharmaciam deſiderare: Sed Diætam tantum, quatenus vires ægri, morborum Medicatrices tutatur. Quapropter Diæta gratia Sanitatis primum conſervandæ, deinde amiſſæ reſtaurandæ inventa eſt: & alia ratio Diætæ eſt in Sanis, alia in ægris. Nos hic de ea tantum agemus, quatenus eſt inſtrumentum artis ſalubris, gratia Sanitatis conſervandæ. De Diæta requiſita in ægris ad curationem morborum in therapeuticis tractatur. Initium autem ſumemus à legitime alimentorum vſu, quem Hipp. paſſim Lib. 1. Aphor. & alibi Diætam propriiſſime maximeque ſpeciali nomine appellat, & præcipue in nutritione conſiſtit, qua quod corpori defluxit reſtauretur, ſive virium ſubſtantia reparetur, vitaque conſervetur particulatim in junioribus cum nutritione accretio juncta eſt, in convaleſcentibus, & extenuatis humorum, carnis, & ſpirituum augmentatio. Proinde Diæta quatenus rectam alimentorum adminiſtrationem, præſcribit vnicus præcipuus ſcopus eſt virium

virium ſubſtantiam reparare, conſervareque quod in Sanis per ſe tantum requiritur, in ægris vero prout patitur morbus & morbificæ cauſæ. Opportunitas ſumendi cibos potuſque eſt cum adfuerit eorum inopia quam in Sanis fames ſitiſque patefaciunt. In victus ratione tria à Gal. conſiderantur 1. Aphor. Com. 9. & 11. Method. Cap. 14. Nimirum quantitas, qualitas moduſque vtendi, ſub quantitate autem comprehendit alimenti formam, prout majorem minoremque habet ad nutriendum potentiam & quantitatē proprie dictam cujuſcunque ſit efficacia. Sub vtendi vero modo, ordinem, opportunitatem, ſive tempus ſumendi cibos ac modum, an ſæpius aut raro & ſingulis vicibus an parum aut multum. Quare in recta alimentorum adminiſtratione, in ſpecie ſex perpendenda ſunt forma ſive ſubſtantia victus quantitas, qualitas, ordo in cibis exhibendis, tempus & modus ſumendi quæ omnia in Sanis metiri debemus, pœnes virtutem & exigentiam virium in ægris facta collatione virium ægri & morbi. Nos vero de Diæta Sanorum hoc loco præcipue agemus, initio facto à forma victus.

De victus forma & quantitate, Cap. 3.



Victus Forma & Quantitas indifferenter pro eodem paſſim ab Hipp. & Gal. ſumuntur; nam tam forma quã quantitas victus accipitur vt diximus, & pro alimenti ſpecie juxta majorem minoremque quam habet ad nutriendum vim & efficaciam, & pro alimenti cujuſcunque determinata, quantitate copiave. Proprie autem forma ſive ſubſtantia victus, in alimentis conſideratur juxta majorem minoremque facultatem, qua ſunt dotata ad corpus noſtrum ſuſtentandum; quantitas vero ſecundum alimenti, cuiuſcunque efficaciæ ſit, copiam. Nam ſua natura & ſubſtantia non habita ratione quantitatis alia multum alunt plurimumque ſubſtantiæ corpori noſtro apponunt; alia parum, alia medio modo ſe habent. Prout nutriunt, ita vires viriumque ſubſtantiam reparant. Forma victus Medicis proprie eſt legitima adminiſtratio alimentorum, pro ſubſtantia corporis reficienda, juxta virium indigentiam in Sanis ſimpliciter in ægris, interdum in neutris

prout

prout permittit morbus, aut morbifica aliqua cauſa. Ideo in Sanis indicatio formæ victus, ſumitur à ſolis viribus viriumque robore, in ægris vero & neutris à virium robore prout concedit, vel prohibet morbus, vel morbifica cauſa pro viribus reficiendis. In Sanis & ægris non vna forma aut ratio victus ſemper neceſſaria eſt, nam in nutritione requiritur interdũ vt plus ſubſtantiæ corporis adjiciamus quam conſumptum eſt, atque ita ſubſtantiam virium augeamus, nonnunquam vt tantumdem apponamus quantum deperditum eſt, vireſque in eodem planè ſtatu conſervemus, aliquando vt minus atque ita ſubſtantiam, virium imminutam retineamus. Ideo victus forma triplex eſt, vna exactè plena craſſaque, quæ plus ſubſtantiæ corpori noſtro addit, quam exhauſtum eſt viriumque ſubſtantiam auget. Alia mediæ ſimpliciter plena, quæ tantam præſtat refectionem quanta eſt diſſipatio. Tertia tenuis victus ratio, quæ minus impertit nutrimenti quam conveniat pro reſtauratione illius quod de ſubſtantia corporis defluxit, atque eo reſpectu victus minuens interdum appellatur. Quo autem victus minorem dat refectionem, eo tenuior eſt, ideo tenuis victus non vna ratio, aut forma eſt; nam Gal. Com. 4. Aphor. 1. Victum tenuem dividit in tenuem & tenuiſſi-

mum; & vtrumque iterumque in ſimpliciter, & exquiſitè ſive extreme talem. Quapropter in vniverſum ſex erunt formæ victus, nimirum exquiſitè ſive extreme plenus victus, ſimpliciter plenus mediuſve, ſimpliciter tenuis, exquiſitè tenuis, ſimpliciter tenuiſſimus exquiſitè ſive extreme tenuiſſimus. In horum ſingulis alimenti legitima adminiſtratio, æſtimari debet primario propriiſſimeque pœnes alimentorum efficaciam; Secundario juxta eorundum determinatam quantitatem copiamve. Nam primum obvires quas habent ad nutriendum plenus victus abſolvitur poteſſimum alimentis ſolidis quæ comeduntur indeque ſubſtantia ſolidarum partium maxime reficitur ſed exacte plenus; alimentis plurimum ſimpliciter plenus, mediocriter, tenuis parum nutrientibus, ſecundum tenuitatis rationem: Qualia ſunt præcipuè ſorbitiones, item olera, fructus, potiones & ſimilia; Nam Hipp. Lib. 1. de Priſc. Med. Victus formam ratione alimentorum dividit in ea quæ comeduntur, ſorbentur & bibuntur; quibus quartum addit Gal. Com. 4. Lib. 1. Aphor. Nimirum omnimodam abſtinentiam. Victus autem plenus (vt diximus) perficitur maxime iis quæ manducantur. Victus tenuis in morbis per ea quæ ſorbuntur. Sed cum ſorbitiones duplices ſint, aliæ craſſio-

crassiores, quæ plus nutriunt, quales sunt ptisana hordei non colata, panatella, crassior expane cum jura pulli, &c. Aliæ tenueiores quæ minus, vt cremor hordei sive ptisana colata, jus pulli cum modico panis. Ideo victus simpliciter tenuis sit per sorbitiones crassiores, exquisite tenuis per sorbitiones tenuiores. At victus simpliciter tenuissimus per ea quæ bibuntur cujusmodi sunt aqua hordei, aqua mulsa, aqua panata, jus primorum. Extreme tenuissimus secundum Gal. per inediam omnimodamve abstinentiam. Verum hoc tempore, & præcipuè in his locis septemtrionalibus quia homines gulæ magis sunt addicti, quam veteres, vt vel ob consuetudinem has victuum materies ægerrime ferant, ideo ab hac exacta victus ratione recedere nunc cogimur, ac pro extreme tenuissima Diæta, loco inediæ aquam hordei, aquam mulsam, aut simile quid offerre: Pro simpliciter tenuissima, tenues sorbitiones concedere, aliquando ad crassas accedere, pro simpliciter tenui loco crassarum sorbitionum ea exhibere quæ comesa non multum reficiunt, vt pisces saxatiles, aviculas montanas, pullos gallinarum, & interdum pro consuetudine aliquid ad huc valentioris alimenti, deinde pœnes solam quantitatem, copiamve citra efficaciam, determinari nequit certa vi-

ctus ratio. Nam nec multum nutrientibus in pauca quantitate absolvitur tenuissimus victus, quia plus nutriunt quam vel tenui victui competat, nec etiam parum nutrientia in multa copia exactè pleno victui satisfaciunt. Attamen modice nutrientia in multa quantitate exacte pleno victui; in pauca simpliciter tenui convenire poterunt, similiter multum nutrientia, in pauca quantitate, aut parum nutrientia in magna simpliciter, pleno victui inservire solent, præcipue in Sanis. In ægris vero peculiariter requiritur victus forma, non solum cuique morbo propria, quatenus est peracutus acutus aut Chronicus: Sed etiam singulis morbi cujusque temporibus & constitutionibus. Morbus enim vt peracutus, acutus aut diuturnus victus speciem & alimenti efficaciam indicat; Nam 7. Aphor. 1. in peracutis morbis tenuissimo victu vtendum, in minus acutis minus tenui, &c. Morbi vero cujusque tempora & constitutiones magis quantitatem copiamve illius victus tenuis, vel tenuissimi quam speciem insinuant, vt in therapeuticis plenissimè explicatur. Nam instituimus hic tractare de Diæta Sanorum, illaque forma victus quæ Sanis præcipuè debetur, qualis est plena simpliciter, aut exquisita, raro tenuis nisi interdum, in neutris qui ad morbos inclinant.

Deinde

Deinde vt in ægris ita in Sanis tam acurata ratio formæ victus non postulatur vt à quantitate eam distinguere opporteat, cum in ægris manente eodem affectu legitima forma speciesque victus temere mutanda non sit; sed potius quantitas prout morbus augetur minuiturque. Vt enim se habet morbus acutus, aut peracutus ad victum tenuem, aut tenuissimum; ita se habere debet ejusdem morbi diversa constitutio ad quantitatem majorem minoremque ejusdem formæ victus; quæ consideratio in Sanis locum non tenet. Norma victus tam in Sanis quam ægris sumitur à viribus viriumque robore. Nam vires ipsum alimentum, formam, genus, quantitatem atque etiam modum indicant. Sed in Sanis simpliciter pro capacitate virium, in ægris juxta rationem morbi in neutris ad morbos propensis secundum dispositionem causarum, in corpore antecedentium. Semper autem in Sanis benevalentibus, vires conservandæ plena victus ratione, vt quo robustiores sunt & vis caloris nativi major, eo plenius; quo debiliores eo minus nutrimenti porrigendum dignoscitur robur virium victusque forma & quantitas ex cujusque ætate, temperamento, corporis habitu, consuetudine, vitæ institutione, aeris ambientis constitutione, sub qua comprehenditur tem-

pus anni Regio & locus. Nam primum Authore Hipp. 13. Aphor. 1. Qui crescunt vt pueri & adolescentes plurimum habent calidi innati, multumque vi caloris de substantia ipsorum corporum dissipant, prompteque alimentum conficiunt, digeruntque ideo vt defluxus ille suppleatur pro corporis magnitudine plurimum alimenti requiritur alioqui corpus absumitur. Contra senibus parum calidi innati supersest corpusque frigidum siccum, ex quo vi caloris exiguum dissolvitur. Ideo inediam facilè sustinent, & paucis fomentis alimentisve indigent, à multis autem calor nativus facilè obruitur. Qui Mediæ ætatis sunt inter senes atque puberes medio modo se habent, & quo à consistente ætate, ad decrepitam propius accedunt minus plenum victum, quo à senili longius absunt, eo pleniorem exigunt, si temperamentum habitus corporis, consuetudo, vitæ institutio aëréq; ambiens consentiant. Nam in qualibet ætate qui vividiores sunt temperamentique calidioris difficilius, qui minus vividi sunt & frigidioris debilioriſque constitutionis facilius inopiam alimenti ferunt, minoremque copiam postulant. Deinde corpora macilenta raræ texturæ, bilioſa ex quibus vi caloris innati multum substantiæ vanescit in auras: Cibum copioſum

mult

multumque alentem contra obæsa & pituitosa quæ calorem debilem habens alimenta parum nutrientia aut pauca requirunt. Tertio quibus in more positum est vt alimentis pluribus vescantur majorem, quibus vt paucis minorem alimenti copiam, expetunt, vt docet Gal. 8. Method. Nam consuetudinis maxima vis est, & consueta naturæ valdè amica & familiaria sunt, insueta, inimica, ideo qui plemori victui multisque alimentis longo tempore assueti sunt ægerrime inopiam parcioremq; victus rationem sustinent, & paucis contentos liberalior Diæta graviter offendit. Quarto qua crebris exercitiis vehementioribusque laboribus dediti sunt, quia supra modum substantia ipsorum dissipatur vt vires sint ferendo, plurimum alimenti multum nutrientis desiderant, qui vero in otio viviunt atq; labores & exercitia negligunt alimentorum vbertate & varietate opus non habent. Nam tantum offerri debet quantum par sit laboribus; Ideo qui parum laborant aut in studiis literarum vitam degunt sine corporis exercitiis, pauxillum comedant; Ab alimentis immodice nutrientibus crassi lentique succi, nimiaque variorum ciborum multitudine caveant, & vicissim vbi fames ibi laborandum non est, sive quibus à cibo abstinendum, nullus labor vtilis, eo enim augetur

getur effluxus quo perseverante magna vtilis alimenti ad est inopia, præterea in aeris constitutione respectu temporum anni, regionum & locorum, eadem ratio victus formæ sicut in ætatibus est. Nam juxta Hipp. 18. Aphor. 1. æstate & autumno cibos difficillime ferunt, hyeme facillime, secundum locum ver habet, quia vt idem 15. Aphor. ventres hyeme primum; deinde vere calidissimi sunt, calore scilicet nativo qui ob circumstantem frigiditatem ad interiora refugit & somni profundissimi tum ob noctes longissimas, quibus spiritus fulgidus in tenebris retrahitur, tum ob vaporum crassitiem copiamque, ac cerebri refrigerationem humectationemque prohibentem eorundem exhalationem. Contra æstivo tempore, quia nativus calor ob ambientis aeris fervorem, ab internis partibus foras protruditur, atque ita dissolvitur; hinc somni breviores ideoque concoctiones deteriores. Polybius hyeme vult cibo assò potius vtendum quam elixo præcipue carnibus oleribus pauciss imis maxime humidis frigidisque & potu pauciori; sed meratiori, vt corpus calidum siccum conservetur, contra æstate exiguo cibo & potu largo valdèque diluto indulgendum, ab hyeme demendum statuit, de cibo, quo magis ad æstatem acceditur, & potum vberio-

vberiorem & tenuiorem ſumendum. Contra ab ætate ad hyemem ſimilis ratio eſt in regionibus & locis ſicut in anni temporibus; Nam in regionibus frigidis homines majorem copiam alimentorum exigunt quam in temperatis, & in his magis quam calidis quia recondente ſe intro calore nativo ob antiperiſtaſin frigoris vireſque acquirente citius & felicius concoctiones peraguntur; Quare eo vrgente copioſiora eſculenta labaſcente vero & flaccefcente pauciora conveniunt. Augetur autem non ſolum ætate, vt in iis qui creſcunt, & exercitiis laboribuſque, vt in athletis & agricolis, aut anni temporibus vt hyeme & regionibus locisque frigidis ſed etiam ſomno qui calorem nativum ad interiora retrahit atque ille ſufficiens maximeque naturalis eſt, qui durat donec concoctio ciborum in ventriculo & jecore compleatur, vt nulla fluctuatio inde oboriatur: Ideo qui bene dormiunt, plus, qui parum minus alimenti deſiderant. Quare plena craſſaque victus ratio debetur Sanis benevalentibus & robuſtis aſſuetis tali victui, qui multis exercitiis ſeſe dedunt ſomnoque indulgent, temporibus, locisque, primum frigidis deinde temperatis, incitante primum fame poſt accedente homine, ad ſumendum cibum. Quantum in ſpecie vnicuique ſit ingerendum,

an ad

an ad menſuram famis & appetitus, an infra aut vltra, non ita facile cognitu eſt ob diverſam ventriculorum temperaturam, & variam victus rationem, & conſuetudinem. Nam Authore Gal. Lib. Art. Med. Cap. 62. & 63. Ventriculus frigidus ad appetendum quidem plurimum viget, ad concoquendum autem non ita. Calidus minus appetit, quam ſuperat, temperatus in vtroque menſuram tenet. Deinde corpora alia minus diſſolvunt, quam concoquunt vt obæſa pinguiaque quæ anguſtas habent venas præcipue ſi in ocio vivant, alia contra plus in auras quam conficiunt & expetunt, vt calida ſicca, raræ texturæ, quibus latæ venæ multiſque laboribus & exercitiis addicta ſunt quia concoctio magis quiete perficitur, nimirum ſomno, calore nativo, ad interiora retracto. Diſtributio vero alimenti in corporis habitum & diſſolutio ſive effluxus melius motu & exercitione. Gal. fame vrgente ſanis qui ventriculo ſunt temporato tantum cibi concedit quantum appetunt qui frigido minus, qui calido plus; qnia calor appetitum minuit. Contra AVICENNA non ſolum in frigido ventriculo qui plus appetit quam concoquit, ſed etiam in temperato & calido minus ingerendum putat quam deſiderat, & reliquiis famis nondum ceſſantibus à menſa ſurgendum

gendum quod de vera ventriculi appetentia orta ex ſuctionis ſenſu intelligendum non eſt, ſed de appetitu qui imaginationem retro actæ voluptatis conſequitur cum pleroſque ad largius edendum trahat potius alimenti ſuavitas, quam vera fames. Nihilominus temperato exiſtente ventriculo plus appetitui concedendum quam frigido & calido plus quam temperato, quod appetentia à calore ſæpè ita langueat vt nec ciborum allectamenta multum. Sentiat nec indigentiæ reſpondeat. Ideo Sanis ita affectis, vtile eſt paulo plus concedere quam expetunt aliis minus præcipuè intemperatis gulæque deditis qui ad liberalius eſitandum, oblectatione potius alimentorum, quam vera fame ſenſuque indigentiæ ducuntur. Deinde in copia ciborũ conſuetudinis magna vis eſt, quæ temere mutanda non eſt nam aſſuetis multis cibis magnam quantitatem prompte concoquunt & inopiam ægre ferunt, contra paucis contentos multa alimenta facilè infeſtant. Præterea obæſi pingueſque, & qui in ocio vivunt vt literarum ſtudioſi aut non ſatis vel intempeſtivè ſe exercent, minus quam appetunt ſumere debent macilenti vero raræ texturæ, qui multum difflantur exercenturque tantum accipient quantum deſiderant interdum ſed rarius paulo plus cavendum ſemper

ne men-

ne mensura cibi proportionem caloris nativi viresque superet, cruditatisque periculum inferat. Nam commune præceptum in Sanis omnibus est eam alimenti quantitatem ingerere, quæ nec ventriculi gravitatem, nec vllam respirationis parvitatem, aut pulsus in æqualitatem afferat sed quam vires superare sive exactè concoquere & digerere valeant. Nam vt in cæteris rebus non naturalibus, ita in alimentis ingerendis modum servare extremaque vitare decet. Qui vt Hipp. 4. Aphor. 2. Neque satietas, neque nimia abstinentia, neque aliud quidpiam salutare, quod naturæ modum excedit. Satietas enim sive multa copia vires enervat, cruditates, cacochimiam, obstructionesque viscerum gignit, vnde pœnè omnium morborum succrescit lerna. Nimia vero abstinentia alimentique parcimonia humores, spiritus, solidarumque partium substantiam consumit, roburque corporis debilitat, &c. Cum igitur vires in quibus consistit vita admodum tenuis victus, nimiave alimenti inopia exhauriat Hipp. 5. Aphor. 1. Errorem in tenui victu periculosiorem esse dicit quam in paulo pleniori & tam in ægris quam Sanis satius esse in excessu quam defectu nonnihil peccare quia delicta in tenui victu gravius feruntur difficiliusque corriguntur. Quod si quis

prava

prava consuetudine, aut ciborum suavitate plusculum ingerat, vt in periculum veniat cruditatis consultum aliqui existimant sequenti die aut à meridie in meridiem, à cibo penitus abstinere simulque vt natura, periculum allatura vincat somno & quieti indulgere, si ob copiam cruditas orta sit suadent parum alimenti, boni succi, facilis digestionis, concedendum, quo natura iterum accessu illius concoctionem aggrediatur. Quidam tamen in robustis & assuetis post crapulam vespertinam corroborationis causa mane vino locũ dant. Sani benevalentes non adstringuntur ita exactam victus rationem servare, vt valetudinarii quia corpus optimè constitutum, naturæ quadam promptitudine suipsius mensuram modumque invenit præcipuè si animus istius probe à teneris sit institutus, non enim multo plus multoque minus justo appetit ingeritque ac levibus eratis facilè resistit vnde Celsus sanus homo qui & benevalet, & suæ spontis est nullis obligare se legibus debet, hunc opportet varium vitæ genus habere, &c. Item nullum genus cibi fugere quo populus vtatur interdum in convivio esse interdum ab eo se retrahere modo plus justo modo ampliùs assumere bis in die potiùs quàm semel cibum capere, & semper quamplurium dummodo hunc concoquat. Sani non

benevа-

benevalentes quia facilè offenduntur à minimis magis exactam victus rationem ſervare tenentur, at illi imprimis qui ad morbos inclinant, cauſaſque morborum latentes in corpore habent. In his vt Victus Forma conſtituatur opportet non ſolas vires intueri ſed eas primum cum morbificis cauſis conferre, deinde conſiderare, an id permittat, vel prohibeat morbifica cauſa aliqua quod vires inſinuant: Permittit autem non raro ſi cauſa ſit ex deficientibus in corpore, prohibet vero ſi ex numero redundantium ſit proinde in his vires corporis pleniori victu augere non licet, rarius in eodem ſtatu conſervare, plerumque tenuiori nutrire, quam virus poſtulant ne morbifica cauſa alimenti copia invaleſcat, & in actum erumpat, præcipuè in diſpoſitione corporis plethorica aut cacochimica: Atque in iis etiam quos cruditas infeſtat & male concoquunt aut quibus conſueta aliqua evacuatio ſuppreſſa, nec-non in iis qui non bene dormiunt & à ſolitis laboribus & exercitiis abhorrent nam his copioſum cibum præbere periculo non vacat ſæpeque virium oppreſſionem, ſyncopen & ſimilia inducit. Nocebit quoque corpora multis impuris humoribus referta plenius alere, teſte Hipp. 10. Aphor. 2. Nam nutrimentũ à corpore non perficitur ſimulque

non raro

non raro corrumpitur infectum contagione pravorum humorum ideo consilium Gal. in his est epicrasin vsurpare sive paulatim aliquid vitiosi humoris evacuare sensimque alimento boni succi reparare. Scribit quidem Hipp. 22. Aphor. 2. Morbos qui ex plenitudine fiunt vacuatione curari, & contra qui ab inanitione sunt plenitudine removeri verum vt idem 4. Aphor. 2. Non satietas aut fames, nec aliud quicquam quod naturæ modum excedat sive vires dejiciat bonum est ideo licet à satietate inedia debeatur; non tamen erit tanta vt vires corporis periclitentur, sed parcimonia nutrimenti, & non omnimoda & diuturna abstinentia. Nam longa inedia non modo debilitat sed etiam ventriculum vitiosis humoribus replet, vnde fastidia inappetentia, &c. Ut latius infra dicetur. Quare in satietate & inedia modus servandus est nam vt fames, ita ingluvies omnibus nocet. Sed Authore AVICENNA Lib. 1. Fen. 3. Doct. 2. Cap. 7. Pejor est ingluvies cibi quam potus: pessima vtriusque.

De qualitate alimentorum deque Ordine, Tempore & modo ſumendi cibos, Cap. 4.



QUALITAS Victus, Delectuſque Ciborum, dependet à differentiis, & Qualitatibus propriis Alimentorum; quorum alia ſimpliciter talia ſunt, alia Alimenta Medicamentoſa; & hæc calefacientia, refrigerantia, humectantia, aut exſiccantia. Item Alimenta ſucci craſſi ſunt vel tenuis, boni vel mali, concoctionis facilis vel difficilis, &c. Scopus Qualitatis Victus in Sanis eſt, naturam in ſuo ſtatu conſervare, in ægris non ſolum naturam laborantis tueri; ſed etiam adverſus morbum pugnare, ideo indicatio qualitatis victus in Sanis ſumitur à natura, in ægris à natura & morbo, natura autem (vt hic accipitur) vel eſt ingenita quæ cognoſcitur ex cujuſque temperamento, ætate, vel acquiſita longa conſuetudine, aut ex aeris ambientis ſtatu, ſub

tu, ſub quo continetur anni tempus Regio & locus, in Sanis natura ingenita, aut longo conſuetudine acquiſita, ſimilia alimenta indicat, ideo humidus victus pueris accommodatus eſt & qui humido conſueverunt vti, ſiccus invenibus nam humida humidis, & ſicca ſiccis cito aſſimulantur deinde calor puerorum ad vaporis naturam accedit, juvenum magis ad ſiccitatem, quare pueris humidiores mollioreſque cibi, juvenibus viriſque aridiores conveniunt. Aëris ſtatus Regioque ſi temperata, naturæ ſimilia expoſcunt, ſi intemperata diſſimilia. Nam qui intra Sanitatis limites conſiſtit naturalem ſequitur appetitum ejuſque ventriculus naturali temperaturæ ſimilia deſiderat, ſi ab ingenito temperamento diſcedat & in morbos labatur, ventriculus intemperatus efficitur, vt ab intemperie illa liberetur, & ad naturalem ſtatum revertatur contraria appetit. Deinde in Sanis ſi temperatura & ætas cum conſuetudine in vno conſentiant facilis eſt cognitio qualitatis victus ſi diſſentiant difficilis. Verum comparandæ ſunt primum inter ſe indicationes, deinde præferenda erit illa quæ à præſtantiore dignioreque accipitur, præſtat autem ducta à conſuetudine ea quæ ſumitur à temperamento & ætate quare ætas & temperamentum in Sanis non ſemper indicant ſimi-

lia ſed mediante conſuetudine quæ licet mala ab ea repente diſcedere non licet, veluti ſi puer fuerit vt ætate, ita temperamento humidus, ac humidis quoque aſſuetus humidum victum ei concedimus, & ſi vir ſit temperamenti ſicci, & humidis veſci ſolitus, alimentum ſiccum non dabimus; ſed humidum ſimiliter nec ſenibus à teneris craſſis alimentis, difficilis concoctionis aſſuefactis victus attenuans competit; aut cibi facilis concoctionis, quia conſuetudinis (vt demonſtrat GAL. vlt. Cap. Lib. 8. Method.) tanta vis eſt vt indicatio ſumpta ab ea potior multo ſit, indicatione petita à temperamento & ætate conſuetudo enim in naturam abit & acquiſita quædam natura eſt, cujus repentina mutatio plurimum offendit vnde conſueta alimenta licet non boni ſucci jucundiora ſunt non conſuetis melioris ſucci & minus moleſtant facileque concoctionem ſubeunt. Semper enim ſuaviora licet deteriora melioribus, ſed ingratis præferenda eſſe cenſet Hipp. 38. Aphor. 2. Hinc illud AVICEN. Quod ſapit nutrit quia ea quæ cuique naturæ ſunt grata ventriculus melius complectitur & promptius concoquitur cum enim quis longo tempore, vnum cibum ingerere conſueſcit, licet à principio familiaritas cum corpore non contrahatur, tractu tamen temporis, acquiritur

quiritur vt licet difficilioris eſſet concoctionis, facilius tamen conficiatur, quam aliusimo tantam potentiam habere ſcimus conſuetudinem, vt non ſolum ciborum malignitatem ſuperet: Sed venenorum perniciem vincat; vt de puella Napello nutrita legimus, quæ cum modice ſenſimqué venenum illud devoraſſet eo inpoſterum abſque vlla noxa, ob ſumendi conſuetudinem vſa eſt. Ut præcipit igitur ÆTIUS qui ſtatuto ſibi certo vivendi genere, quamplurimo tempore Sanus permanſit, ad aliam conſuetudinem nullo modo traducendus eſt. Nam ſi ea victus ratio & conſuetudo; Naturæ illius non conveniens fuiſſet nec eam tollerare, nec ea Sanus vivere tamdiu potuiſſet vnde Hipp. 50. Aphor. 2. Quæ ex longo tempore conſueta ſunt etſi deteriora inſuetis, minus moleſtare ſolent, verum cum vni aſſueſcere valdè periculoſum ſit, quod homines ex improviſo in ea quæ inſueta ſunt inſidere ſoleant, ne minus lædant, ſuadet Hipp. Sanis ad inſueta quædam tranſire, nec aſſuetis perpetuo adhærere. Ideo vt monet CELSUS Sanum benvevalentem decet variam vitæ rationem habere & non ſolum, non vni cibo aſſueſcere; ſed etiam nullum genus cibi fugere quo populus vtatur. Conſuetudines autem malæ ciborum pravi ſucci, præcipuè ſunt mutandæ

non ſubito, ſed paulatim in ocio tempore Sanitatis; quia boni cibi ob perverſam conſuetudinem, ſubito non concoquuntur & quamvis cibi pravi ſucci probe à nonnullis conficiantur nec nocere videantur quia tamen teſte GAL. Lib. 2. De Alimenti Facal. ſua natura pernitioſum ſuccum generant qui in venis congeſtus longo tempore latere ſolet donec levi arrepta ad corruptelam occaſione febres ſeviſſimas, contumaciſſimaſque excitent. Ideo ab omnibus cibis pravi ſucci penitus abſtinendum & alimentis boni ſucci vtendum, ne vel in ipſa etiam ſenectute Luamus adoleſcentiæ peccata vt ſentit AVICEN. Tempore famis de ſalubritate ciborum valde ſolliciti eſſe non debemus modo in Sanis adſit vulgo victus naturalis diu ſatians diſcuſſioni longo tempore reſiſtens: Cujus generis ſunt panes carnes, & piſces ſolidioris craſſioriſque ſubſtantiæ difficilioris concoctionis, qui pauperibus exercitatis multoque labore aſſuetis tuto exhibentur nam quæ ineſt ſubſtantiæ craſſities, aut pravitas, vehementiora exercitia, facilè emendabunt, & diſcutient in annonæ caritate pro panibus miſcentur ſæpè farinæ frumentorum non ſolum leguminum; ſed etiam ſeminum medicatorum, & radicum eſculentarum aridarum, item glandium, caſtanearum, aliorumque fructuum interdum

terdum vrgente fame folia frondesque arborum, herbæ pulverisatæ aliaque minus vsitata, nam desperata fames, vt in vrbium obsidione quidvis potius elegere coget quam vitæ jacturum facere, quod vel lupi homines docuere qui in extrema fame terra se replent vt scribit PLINIUS, CAP. 23. LIB. 8. Verum ad hos minus familiares cibos, panesque pauperes sensim assuefaciendi sunt, paulatim detracto nonnihil de farina frumenti, aliisque frequentatis ne subita mutatione in morbos incidant. Danda potessimum quæ aut fami & discussioni resistunt, diutiusque sine corruptione persistunt, firmiusque nutriunt aut cito satiant diu famem & discussionem inhibent, quæ difficilis sunt concoctionis & substantiæ solidæ crassæ, vt panes vetusti aut bis cocti, tostive vel non belle cocti, nec fermentati, pisces carnesque torridæ aut salsæ, ova indurata, casei veteres & similia cito satiant oleosa dulciaque, vt panis butyraceus, pultes ex farina vel pane cum jure pingui carnium aut butyro vel lacte, cocti ad consistentiam interdum ex pisis milio cum pingui jusculo & similibus deinde vt suadet HIPP. 2. APHOR. 16. Fame dominante ab omni labore & exercitio abstinendum, ideo somno, ocio, & quiete vacandum, quare tempore famis decet non modo pue-

do pueros, ſed etiam mendicos, alioſque inutiles Reipublicæ maturius ſurgentes, ad lectos repellere iiſque quietem jujungere. Nam labores alimentum & ſubſtantiam partium diſſipant, vireſque exhauriunt ſomnus ad interna humores ducit & concoquit vnde glyres aliaque nonnulla animantia ſomno pinguescunt fumo quoque peti fames nonnunquam eximitur & coqui odore ciborum minus voraces exiſtimantur. Præterea PHAVORINUS apud AULUM GELLIUM, CAP. 3. LIB. 16. refert SCHITHAS ſi quando rei cujuſque cauſa inediam ferre cogerentur, latioribus faſciis ventrem cohibuiſſe: quod nulla relicta inanitate fames eos minus infeſtaret. Quem morem in hybernia à latronibus obſervari hodierno die compertum eſt. Siquidem ob magnam neutris compreſſionem fibræ minus trahunt, nec ita ſentitur ſuctio venarum eamque conſequens media quare qui liberalius edere cupiunt zonam laxant. Conſtrictio autem ad alimenti ſupplementum ne præpropere elabatur, diſcutiaturque inſervit fame vero confecti parciſſime ſunt nutriendi, alimentis paucis boni ſucci, ſæpeque & ſpiritus reficiendi ſuavibus odoribus præterea attenuans victus ratio Sanis non benevalentibus qui craſſis humoribus luxuriant ac in ocio vivunt, ſecurior

multo

multo est, quam incrassans: quia obstructiones aperit crassa extenuat, viscida incidit sed parum vitam sustentat & firmitatem corporibus non addit; Ideo ab attenuantium ciborum frequente vsu extenuatos multumque exercitatos, abstinere opportet præcipuè natura calodiores, quia serosa & bilioſa tandemq; sanguinem atrabilarium congerunt; deinde attenuantia quæ validè exsiccant, crebrius ingesta aliis etiam nocent, nam humores incrassant, & tophaccos renum calculos efficiunt, increſſans victus ſive alimenta crassi succi, multùm quidem alunt in ventriculo & jecore perfectè concocta verum diuturnitate temporis hepar lienemque obstruunt, calculosque in renibus producunt attamen illis tutissimè concedi poterunt qui latas habent venas, probe cibos conficiunt, & multis exercitiis aut laboribus sese devovent beneque dormiunt, ac tali victu vti consueverunt. Contra quibus anguſtæ venæ tarda ingestorum concoctio, crudorum tenaciumque humorum copia, vita ociosa, quoſque vigiliæ obstructiones renumque calculi moleſtia ſolent afficere à cibis crassi succi abstinere potessimum convenit. Sanis itaque pleriſque accommodatissima sunt illa Alimenta quæ inter attenuantia & incrassantia, mediam naturam obtinent

quia

quia mediocriter nutriunt, & ſanguinem mediæ conſiſtentiæ gignunt verum qui calorem nativum vegetum membra valida duraque ſortiuntur, ac multis laboribns ac exercitiis ſe dedunt, cibos craſſos ſiccoſque difficilis concoctionis boni ſucci deſiderant quod ſi calor debilis membra mollia humida, cibos tenues, molles, facilis concoctionis, & qui raræ ſunt texturæ multumque difflantur, cum debilitate ſtomachi cibos multi nutrimenti, facilis concoctionis, boni ſucci expetunt. At obæſi in quibus exigua diſſipatio infirma concoctio cibos pauci nutrimenti, facilis concoctionis, boni ſucci jure merito vindicant. Cibi verò mali aut excrementitii ſicci, ſive ſint facilis, ſive difficilis concoctionis, pauci aut multi Alimenti, nec Sanis nec ægris vtiles ſunt, nec in eadem menſa magna ciborum diverſæ naturæ varietas vnde cruditas multiplexque corruptela naſcitur. Præterea in vſu ciborum conſideranda eſt diſpoſitio ventriculi nam aliqui ob illius frigiditatem humoreſque, crudos, viſcidos, cibos tantum facilis concoctionis beneconcoquunt à cibis difficilis concoctionis ſibi pondus incumbere ſentiunt, acidumque plerumque eructant alii vero ob calorem à bilioſo, aut acri humore vel in ventriculo genito, vel aliunde tranſmiſſo, cibos concoctu

concoctu difficiles, bene conficiunt, concoctu faciles, in alienam ſubſtantiam convertunt, quod ex ructu indorulento, ac mordicatione. in orificio ſtomachi percipiunt; proinde vt illis cibi coctu faciles ita his concoctu difficiles, qui ægre labem contrahunt tantum conveniunt. Tandem in victus qualitate obſervanda eſt non modo cujuſque regionis & loci conſuetudo; ſed etiam in multis naturæ individua quædam proprietas, nam conſtat Alimenta non æquam ad omnes rationem habere; ſed eadem & bona & mala eſſe diverſorum comparatione videmus enim aliquos butyro aut caſeo, nonnullos Vino & ſimili aliquo graviſſimè offendi, quæ pleriſque hominibus jucunda & familiariſſima ſunt Alimenta hæc ἰδιοσυγκρασια cum nulla ratione detegi queat ex his quæ manifeſtam facultatem exhibent conjectare opportet quam ciborum quiſque facultatem habeat vt refert Hipp. Lib. de Affect. Quare familiaria ſunt offerenda Alimenta, facilè ſiquide Authore Hipp. Lib. de Victus ratione in morbis acutis ferunt cibos quibus aſſueti ſunt etiamſi natura non ſint boni, ſimiliter etiam potus ægre autem fernnt cibos quibus aſſueti non ſunt, etiamſi ſint boni. Conſuetudine receptũ eſt vt pluribus cibis diverſi generis menſæ onerentur, mag-

tur, magno Sanitatis dispendio, Panem quidem (licet in conviuales mensas Sinarum nõ inferatur vt resecti Nicol. Tragautius, Cap. 7. Lib. 1. de expeditione Christiana apud Sanas, & ab eo Tartari abstinent eodem teste Cap. 12. Lib. 5. Sola vescentes carne) quia materiam quasi alimẽtorum omnibus cibis miscere possumus non piscibus carnes, legumina, &c. Nec quæ facilis aut difficilis sunt concoctionis ita enim crudum cum cocto confunditur & coctum si diutius in ventriculo permanserit corrumpetur, aut si descenderit, vel cum crudo per intestina expelletur, vel ad jecur deducetur vnde plurimorum morborum causæ ad hæc mala evitanda in Alimentorum vsu observandus est ordo, de quo discrepant Authores aliqui arbitrantur ita ingerenda vt ex æquo tempore omnia concoquantur, ne coctum crudo misceatur idque fieri si quæ difficilis sunt concoctionis præcedant & partem ventriculi quæ calidior est occupent, nimirum fundum in quo stomachus carnosior est, jecoriq́ue propinquior, quæ facilis concoctionis; Partem superiorem minusq́ue calidam obtineant pleriq́ue contra Alimenta dissimilia ea ratione non assumenda, vt pari passu omnia subigantur; sed primo loco concoctu facilia vt cito delabantur, & reliqua

liqua deinde conficiantnr ſubſequanturque quia ſi præmittantur coctu difficilia facilioribus quæ primum concoquuntur non diſcenderent inferioribus Alimentis nondum in chilum transformatis verum cocta crudis jungerentur, aut diutius in ventriculo retenta corrumperentur ſunt qui inter has oppoſitas opiniones mediam excogitarunt, nimirum ſi inter ea, quæ concocta facilia & difficilia, parva ſit differentia, præcedere debere coctu difficilia, ſubſequi facilia, vt à partibus ventriculi differentibus pari temporis intervallo ſuperentur ſi magna ſit diſcrepantia ſatius eſſe quæ concoctu facilia ſunt antecedere, vt citius cocta ſtatim transferantur; Nec ab aliis impediantur, nec cum crudis conjungantur. Prima illa opinio in multis cum ratione & experientia pugnat nam percipimus manifeſtè, duabus ferè poſt aſſumptum cibum horis, ventriculum ſenſim leviorem reddi, parte oneris ad inteſtina demiſſa nec omnia ex æquo tempore concoqui deinde ratio docet quod coctum eſt, in ventriculo totum momento temporis non elabi; ſed quod in inferiore parte citius quod ſuperiori ſequius ergo tardius iſtud atterari debet, vt lente diſcendat diutiuſque retentum perfectionem acquirat & ſi vnum ſit Alimentum quemadmodum pars

ejus

ejus ſuperior tardius ſubigitur ita longius temporis intervallum exigit vt in chilum convertatur quare aliorum concoctionem anteverte debent concoctu facilia quod etiam teſtatur GAL. 2. de Aliment. Facult. CAP. 11. & LIB. de Diſſol. Cont. CAP. 1. & 22. Niſi peculiaris ventriculi conſtitutio & longa quædam conſuetudo aliud requirat præcipuè autem illa primo loco ſunt exhibenda quæ cum humiditate pravum ſuccum obtinent, vt confeſtim ſubacta in ventriculo non ſubſiſtant talia ſunt mora, mala perſica cæteriqúe fructus horarii qui ſicut & olera, in parva quantitate concedendi ſunt quod ſanguinem aquoſum, vaporoſum, & corruptioni obnoxium gignant, ſi ex Alimentis ingerendis, quædam ſint liquida, quædam ſolida. Conſultum quidem eſt liquida tenuiaque ſolidis, craſſiſque præmittere, verum quia craſſa liquidis in ventriculo facilè permiſcentur, non ita multum referre videtur quodnam eorum præcedere debeat modo ad multas horas menſa non protrahatur ſin omnia, ſint ſolidæ ſubſtantiæ quæ coctu faciliora præcant, deindè difficiliora adſtringentiaque ſuccedant vt Pyra, Cydonia, & ſimilia quæ in vltima menſa conveniunt, hic ordo in Sanis non aliter aſſuetis, qui temperato ſunt ventriculo ſemper locum

locum habet verum in robuſtis quibus familiaria ſunt eſculenta craſſiora, vt in DANIA & SAXONIA initio prandii aut cœnæ cogimur non parum conſuetudini indulgere, ac minus quoque validis craſſiores cibos in prima menſa concedere quia ob conſuetndinem modo parva ſit eorum quantitas facilius digerunt, quam ſubtiles in majori: Similiter in quibus ventriculus eſt intemperatus illa ordinis ratio nonnunquam mutanda nam ſi laxior ſit conſultum non eſt liquida tenuiaque præmittere; quæ cito defluunt, ſed ſolida adſtringentia, quæ diutius permanent corroborantque. Quod ſi alvus conſtipetur cibi tenues liquidiqúe præcedant quo leniant, aut ad excretionem ſtimulent deinde illis qui ob acrem ventriculi calorem Alimenta in bilem fumoſoſque vapores facilè convertunt coctu facilia afferandà non ſunt præcipuè in prima menſa, ſed quæ ægre nidorem contrahunt, & calori nativo plurimum reſiſtunt, vt ſupra diximus. Super eſt vt de modo vtendi Alimentis nunc agamus ſub quo comprehenditur à GAL. etiam occaſio, ſive tempus opportunum Sumendi cibos propriè vero ad modum pertinet cognoſcere an raro, aut crebro ſint exhibendi nimirum quotidie ſemel bis, aut ſæpius deinde ſingulis vicibus an parum, aut multum

ſit con-

ſit concedendum incipiemus ab occaſione ſeu tempore quod tum maximè conveniens eſt, cum adfuerit in opia quam adeſſe docet, in Sanis plerumque fames, aut virtus ob inopiam ſolito potiſſimum tempore cibos vrgens. Itaque virtute, conſueta hora, præmente, ſi nil actioni ejus obſtiterit, cibi exhibendi verum impedit in ægris non raro morbus, in Sanis & ægris, cibus prius oblatus in ventriculo ſemi-coctus aut excrementa nondum ſubducta, quibus domandis aut expellendis intenta natura novos cibos perfectè concoquere nequit quare in Sanis tempus maximè idoneum accipiendi cibos eſt hora conſueta priore confecto, & ventriculo exonerato fame etiam vrgente. Nam vt horam iſtam antevertere alioſque cibos ingerere priore in ventriculo nondum ſubacto, cruditatis cauſa eſt, ita tempus protrahere, & diu famem tollerare; Ventriculum pravis humoribus replet, hora ſolita cibos admittendi ſive bis, ſive ter temere mutanda non eſt. Verum ſi quis ob vitæ inſtitutum ſumendis cibis hora ſtatuta vacare nequeat conſultum erit conſuetudinem ſenſim tantum mutare veluti ſi Reipublicæ negotiis interdiu ita impediatur, vt ſuæ ſpontis non ſit mane levi ingeſto cibo veſperi plenius materiuſque cœnare, & potius à prandio abſtinere, quam

quam nunc circa meridiem, nunc poſt horam ſecundam, aut tertiam pomeridianam prandere dandus cibus non eſt qui à natura ſubigi nequit; ideo anhelantibus ab exercitiis & laboribus aut iratis cibus potuſque offerri non debet; ſed prius ſedata turbatione corporis quando ex commotione non amplius incaleſcit nam ſpiritibus adhuc intentis & calore nativo concitato crudi humores in viſcera rapiuntur, & magnæ ſæpè obſtructiones partiumque internarum diſcraſia naſcuntur vnde potus aquæ frigidæ ab exercitiis multis hydropen accerſere conſuevit in ſpecie quoties quotidie, cibi ſint ingerendi, an ſemel bis aut ſæpius deinde ſingulis vicibus quantum, an parum aut multum in Sanis æſtimatur juxta vires modumque indigentiæ robur autem & debilitas virium cognoſcitur ex cujuſque ætate, temperamento, habitu corporis, vitæ inſtituto, conſuetudine, & aeris ambientis conſtitutione vt ſupra demonſtratum eſt indigentiæ vero modus ex copia & inopia ac corruptela humorum in vaſis item ex multa paucaque diſſolutione corporis, ſive effluxu ſemper autem vires validæ atque nativi caloris abundantia multa Alimenta contra debiles pauca, mediocres mediocria exigunt. Similiter indigentia magna ob humorum defe-

ctum & corruptelam, aut multam corporis diſſlationem vt quod deperditum eſt reparetur, copioſa Alimenta poſtulat, exigua ob multitudinem humorum in vaſis aut parvam corporis diſſipationem pauca mediocris mediocria quare ex mutua collatione ſi vires ſint robuſtæ cum magna penuria ſæpe multumque requirunt ſi robuſtæ cum minima parva, raro parumque ſi debiles cum multa modicum & ſæpius expetunt ſin debiles cum exigua, raro paucumque, &c. Ex quibus colligitur in ætatibus quod pueri deinde adoleſcentes quoniam calore nativo abundant, & ſpiritus humoreſque facile in auras abeunt multum ſæpiuſque alendi ſunt. Invenes quia calorem habent vegetum, ſed non ita multam corporis diſſlationem vt adoleſcentes multum ſed non ita frequenter cibandi. Senes crudi in quibus modicus tantum calor diſſolutioque parum & raro, ac decrepiti minutim ſed frequentius, vt vires languidæ refocillatæ ciborum concoctioni ſufficiant. Verum in horum ſingulis perpendendum an cum ætate conſentiat temperamentum, habitus corporis, conſuetudo, anni tempus, &c. Nam vt diximus in qualibet ætate, qui calidioris ſunt temperamenti plus Alimenti, qui frigidioris minus exigunt deinde corpora obeſa & pingui quæ parum diſſlantnr, pauxillum

raroque: Contra macilenta, extenuata raræ texturæ in quibus magna fit diſſipatio ſi vires robuſtæ ſint multum Alimenti crebroque deſiderant, ſin debiles vt in convaleſcentibus, potiſſimum parum, ſed ſæpius. Cæterum vt præcipit HIPP. 2. APHOR. 7. Qui longo tempore extenuati ſunt lente reficere oportet, qui breviter repente, lente autem reficiuntur; Alimento ſolido potiſſimum modica quantitate mediocriter nutriente, & brevibus intervallis; repente vero liquidis odoratis quæ celerrimè concoquuntur, & in corpus diſtribuuntur vt cito ſpiritus atque humores reſtaurentur. Similis ratio in regionibus & anni temporibus nam æſtate parum cibi exhibendum eſt, ob vires imbecilles ex defectu caloris innati, & ſæpè ob magnam humorum penuriam diſſipationemque corporis. Contra hyeme multum ob vim caloris nativi, ſed raro quia in auras parum diffiatur, verè medio, plus quidem & rarius quam æſtate minus vero, & ſæpius quam hyeme vt vitetur plethora quæ tunc imminet ob liquationem humorum qui hyemis frigore concreverunt Autumno vero vt æſtate in benevalentibus, parum Alimenti ſæpiuſque offeratur, ſed in neutris & ægris quia Autumnalis conſtitutio eo ſimillima morbis ex corruptione humorum natis,

ideo ſi vires validæ ſint multum ſæpeque alantur, ſin debiles parum crebroque in calida regione vt æſtate nutrimentum præbere convenit, in frigida vt hyeme, in temperata vt verè medio præterea exercitatis continuiſque laboribus addictis. Multum Alimenti ſæpeque exhibere conducit ob robur magnamque corporis diſſlationem in ocio autem vitam digentibus parum raroque quod immodica quiete nativus calor torpeſcere ſoleat. Tandem in omni victu conſuetudinis ratio imprimis habenda cum altera ſit natura ejuſque vis maxima & tanta vt quod contra conſuetudinem eſt plerumque nocere ſoleat. Quare periclitatur, inquit HIPP. 2. De ratione victus in acutis, non ſolum qui ſemel aut bis in die cibum incontinenter contra conſuetudinem ſumit, ſed etiam qui à longa conſuetudine ter quaterve in die cibum accipiendi, repente diſcedit, neque enim vtilis eſt magna ſatietas ſæpeque inutilis præter conſuetudinem nimia frugalitas deinde nec multa temperantia nimia ingluvies, nec ex immodica affluentia idonea eſt abſtinentia, ſed cum quis mutare aliquid velit paulatim aſſueſcere debet ideo peccant qui aſſuetis minus liberaliter genialiterque vivere repente parcimoniam injungunt, aut à frugali victu ad vberiorem ſtatim transfe-

transferunt quoties ſit Cibandum? An ſemel an bis? Nimirum prandendum & cœnandnm an ſæpius & jentaculum ſive ἀκρατισμα, ſeu διανεστισμός, ſit adjiciendum ac merenda, ſive προδειπνον, item ſingulorum temporum intervalla in Sanis à conſuetudine petiſſimum dependet quemadmodum & quantitas. Verum certa quantitas ſingulis vicibus, ita accurate à conſuetudine determinari nequit, atque ex viribus pro diverſitate concoctionis & diſtributionis Alimenti variaque diſpoſitione corporum & humorum in vaſis concoctio autem quiete melius perficitur, præcipuè in ſomno, calore nativo ad interiora retracto; diſtributio vero Alimenti motu & exercitatione. Deinde corpora alia magis comparata ſunt, ad concoctionem quam diſtribntionem, multamque difflationem, vt pinguia oleoſque, quæ anguſtas habẽt venas & in ocio vivunt, contra alia magis ad diſtributionem multamque diſſipationem vt macilenta, calida, ſicca, raræ texturæ quibus latæ ſunt venæ plurimumque exercentur quædam medio modo ſe habent, proinde qui melius Alimenta concoquunt quam digerunt diſſolvunque vt promptius deducantur longe-majori ſerculorum apparatu & magis oppipare cœnam quam prandium inſtruant qui vero facilius

cilius diſtribuunt quam conficiunt vt Alimentorum elaboratio vegetior & magis exacta fiat in cœna liberalius genio indulgebunt. Ideo velentioribus eſculentis tempore veſpertino vtendum, vt vult GAL. CAP. 6. LIB. 7. METHOD. MED. Verum qui æqualiter in vtroque ſunt affecti, tantum in cœna quantum in prandio, aut paulo plus ingerant; ſed potiſſimum qui à jentaculo abſtinent, quod longius ſpatium intercedat inter cœnam & prandium Sanis etiam benevalentibus aſſuetis veſperi laute vivere ac multis negotiis interdiu implicitis plenior ſit cœna. Cæterum diſpoſitiones partium & humorum in vaſis contrarium ſæpenumere perſuadent nam qui catarrho, cæphalea epilepſia, aut ſimilibus cerebri morbis obnoxii ſunt quia ſomnus caput replet, præcipuè ſi adſit redundantia crudorum humorum in ventriculo frugalius cœnare & liberalius prandere tenentur hinc AVICENN. in curando epilepſiam & MESVES in medendo catarrho vberiorem cibi portionem in prandio quam in Cœna decernendam eſſe ſcripſerunt, deinde qui genialiter & laute prandent, Nec bene concoquunt tutiſſimum eſt cœnam penitus à dimere vt quod interdiu inconcoctum menſit, citra novi cibi ingeſtionem noctu confici poſſit. Cæterum Sanus

robuſtus

robuſtus benevalens quia ſui-ipſius menſuram modumque facilè invenit nullatenus adſtringitur, ita religioſè hujuſmodi artis præcepta obſervare; Nec vt præcipit CELSUS vllis ſe legibus obligare, ſed modo plus juſto modo non amplius aſſumere, &c. Quia natura valida temperaturaque bona errores non ita magnos, aut non valdè multos citra noxam corporis emendat. De Victu Ægrorum in Curatione Morborum, à Practicis agitur.

De Potus Uſu, Cap. 5.

CUM in aſſiduo fluxu ſit corpus humanum ex quatuor elementis certa proportione mixtis compoſitum niſi pro ſubſtantiæ parte deperdita quid ſimile reſtituatur, diu ſubſiſtere nequit reparatur quod calidum ſiccumque de corpore reſolvitur, cibo: Quod frigidum humidum, Potu. Ideo vtriuſque vſus vitæ neceſſarius eſt, quo corpus priſtinam commoderationem adipiſcatur, & ſubſtantiæ elementorum qualita-

teſve in eodem perpetuo tenore conſerventur de legitimo vſu ciborum jam dictum eſt, de potu reſtat tractandum. Quemadmodum à natura ventriculo inſita eſt ex ſenſu indigentiæ cibi, ſive alimenti ſicci calidi, appetentia quædam animalis, quæ fames dicitur, ita ex perceptione deficientiæ potus, ſive alimenti humidi frigidi deſiderium, quod ſitis appellatur. Nam occaſio ſumendi potus eſt, cum adfuerit penuria frigidi: Hanc in ſanis potiſſimum docet ſitis, quæ duplex eſt vna naturalis ex humidi roridi in ventriculo carentia, aut ex alimenti ſicci ſupra humidum redundantia, qualis ex vſu ciborum reſultat, vt alimenta in ventriculo permiſceantur, & diſtribuantur nam conſtat multos ſanos qui aliter non ſitiunt, ab vſu ciborum ſitire & ſitim in ſubſidium alimentorum ingeſtorum ſemper inſurgere ac plerumque tantam eſſe quantus eſt cibus præcipuè ſolidus. Altera eſt non naturalis orta à cauſa aliqua præter naturam aut morbo ideo duplex. Una quæ citra morbi complexum adoritur ab æſtu vel ſqualore, vel efferveſcentia humorum circa orificium ſtomachi, vel ab excremento acri, aut falſo in concavitate ventriculi contento alia morbos propriè conſequitur vnde ſitis morboſa vocatur. Quare potus alii ſunt ſanis familiares,

pro

pro ſiti naturali, & vſu ciborum alii non conſueti, aut medicati, pro ſiti non naturali, aut morboſa reſtinguenda. De potibus conſuetis eorumque facultatibus alibi fortaſſis dabitur loquendi occaſſio. Nunc quis ſit legitimus in iis obſervandus vſus trademus. In genere potus omnis datur aut pro ſiti ſedanda, ſive ea ſit naturalis, ſive non naturalis, aut in gratiam ciborum, vt vel eſculenta diverſi generis in ventriculo exactè commiſceantur atque ob eam commixtionem melius elixentur, ac attenuatione ſive liquatione quadam ſucci alimentarii facilius eliciantur, vel vt alimenta in vētriculo cocta & inchilum converſa ad jecur pervenas, in corpus deferātur & diſtribuantur, vnde potus alius ſedativus ſitis appellatur, aiius ciborum commixtivus, tertius delativus. Quis autem potus cuique vſui reſpondeat, quantus quo tempore, & modo definire & cognoſcere medico imprimis neceſſarium eſt ideoque de eo quatenus primo ſiti naturali compeſcendæ, dein vt cibis commiſcendis denique vt ſiti non naturali tollendæ inſervit, ſermonem inſtituemus. Sitis naturalis defectum humidi roridi ſubſequens abſque fame & cum ea poterit eſſe verum quæ citra famem tollerata moleſtior eſt, etſi minus periculoſa quam fames vt conſtat ex PLUTARCH. de Sanit. Tued.

de

de LYSIMACHO, apud GETAS, eo ſiti redacto vt ſe cum toto exercitu in poteſtatem hoſtium dederit poſtea cum frigidam bibiſſet dii boni inquit ob quam brevem voluptatem ſummam amiſi felicitatem Potus pro hac ſiti ſedanda multi; & citiſſimi nutrimenti eſſe debet qualis ex vſitatis eſt Vinum ſimplex, aut aqua dilutum, aqua mulſa, cerviſia bene cocta & deſæcata at quibus eſt calidior ſicciorque ventriculi conſtitutio aqua ſimplex, aqua hordei, interdum liquores ſuccique ex cibis. Exhibentur hi potus vrgente ſiti quocunque tempore ac in paulo majore quantitate quam conſuetudo poſtulat ſi vires ferant, quæ ſi debiles fuerint fræquentius parciuſque præbendi & noctu quam interdiu rarius concedendi, quia ſomnus plerumque ſitim levat ac jejuno adhuc ventre quam pleno, quia vacuum magis alterat, & humectatione laxat deinde Vinum meracius eſuriente ſtomacho hauſtum debiles nervos tentat, caputque infirmum ledit. Secundo potus commixtivus, qui in vſum alimentorum datur, vt diſcendant exactamque commixtionem ſubeant, variatur pro diverſitate ciborum & natura conſuetudineque ſumentium, habita ratione temporis ætatis, Anni & Regionis, cum alimenta alia liquida ſint vt ſorbitiones alia ſolida ingeſtis liquidis non

ita

ita requiritur potus niſi ipſa acria calidaque fuerint, tum enim deſuper potum tenuorem, quo contemperentur, bibere expedit comiſtis vero ſolidis, potus aliquis neceſſarius eſt quo exactè miſceantur, ac melius concoquantur, ſucciq́ue alimentarii extrahantur, & in calidis naturis alimentorum vſtio diſſipatioq́ue prohibeatur, nam ſine potu liquoreve aliquo nec cibi elixari, nec attenuari, aut per ventrem & venas digeri poterunt. Permixtioni ciborum inſervit potus cujuſcunq́ue naturæ, attamen vtile eſt conſuetudinem obſervare eumq́ue exhibere quem illa maximè poſtulat, ſive ſit Vinum, ſive aqua, ſive cerviſia lupulata, aut non lupulata, &c. Nam conſueta quia amica & familiaria naturæ maximè proſunt Potus ingeſtis cibis reſpondere debet, vt quantitas ejus ſit moderanda pœnes conſuetudinem, & ventriculi robur in conficiendis alimentis quare qui plurimo veſcitur cibo copioſo indiget potu; ſed non confeſtim & ſubito, ſed niſi virtus ſatis valida fuerit nam quibus ſtomachus debilis, aut per ambitum corporis parum diſſipatur, vt obæſis largum potum vitare debent, ne vis ventriculi exſolvatur fluctuationeſq́ue oriantur, quo tamen cibus durior ſicciorq́ue eſt vberiorem potum quo craſſior frigidior potentiorem calidioremq́ue

remque expetit. Quidam omnem potum in finem menſæ differunt, vbi affatim plenis faucibus ingurgitant quod minus probatur ſicut etiam parce, aut bis in ſplendida menſa bibere, vitio non caret quia correſpondere debet potus quantitati alimentorum aſſumptorum, melius ſiquidem inde miſcentur, & eliquantur ſi ſæpius bibatur quam ſemel, & ſi numerus Potus reſpondeat numero alimentorum quantitate non variata, veluti ſi in vna menſa tria ſint diverſa fercula ter tantummodo bibatur ſi duo bis, &c. Et ſinguli Potus poſt ſingula fercula nam iſto potandi modo præterquam quod exactè commiſceantur & comminuantur alimenta in ventriculo os lingua fauceſque à præcedentis alimenti qualitate abluuntur, vt ſequentis ſapor melius percipiatur. Potus ſanorum ſit actu frigidus non tepidus, aut calidus vt poſt dicetur verum frigidum partiri, & non confertim affatimque ingerere opportet, quia frigidus nimis copioſus concoctionem impedit, & fluctuationes parit deinde naturis calidis & bilioſis, aut vbi alimenta tenuia ſumuntur, quia ex calore facilè diſſipantur, aut cito corrumpuntur in ventriculo Potus ſit poteſtate frigidus, vt cerviſia tenuis, aqua hordei, Vinum aqua multa dilutum, Contra in frigidis, aut dum ingeruntur alimenta quæ difficulter

culter ſuperantur Potus ſit Vinum, aut cerviſia potentior quæ calorem nativum languentem excitat, & ſenibus aſſuetis poteſſimum à paſtu nonnihil aquæ vitæ niſi cerebrum à Vino aut ejuſmodi potu vehementer commoveatur. Sed in his omnibus non eſt negligenda ætas, Anni tempus & Regio nam pueris iiſque qui abundant calore nativo, Potus tenuior ſenuioribus potentior debetur & juvenibus vinum tenuius ſenioribus meracius quod vinum generoſum ſit lac ſenum deinde hyeme & in regionibus frigidis plus edere expedit, minus ſed meracius bibere verè cibo paululum demendum, potioni adjiciendum, præcipuè æſtate quo tempore dilutius bebendum eſt. Claudere menſas cibo, aut potu omnibus ex æquo non convenit, nam quibus os ventriculi debile laxumque eſt, & caput ex eo compatitur ſub finem refectionis vſus Vini cerviſiæ, aut alicujus alterius potentioris liquoris abdicandus & adſtringens nonnihil edeundum at ſi nulla ad ſit ventriculi affectio, nec cerebrum infirmum, à paſtu parum Potus ſumendum vt ſi quid cibi orificio adhærens ſtomachi, ad imam partem delatum aliis commiſceatur præcipuè ſi ventriculus ſiccior fuerit. Iis qui ſtomacho ſunt frigido poſt cibos difficilis concoctionis conceditur aliquid Vini

meracio

meracioris, & ſenibus aſſuetis parum aquæ vitæ ſi cerebrum detrimentum hinc non patiatur. Tertio poſt concoctionem ciborum vt ſuccus alimetaris ad jecur deferatur, quidam Potu nullo indigent, quia amplas venas habent, & validam vim expultricem ventriculi & attractricem venoſi generis, aut alimentum ſua natura ſatis liquidum. Cæteri qui contrario modo ſunt affecti potum aliquem delativum deſiderant, qualis tenuium partium eſſe debet, vt promptè per venas ad vias vrinæ tranſeat ſecumque faciliùs alimenta devehat cujus generis eſt Vinum album tenue verum quo cibus craſſior ſiccior frigidior Potus delativus potentior ſubtilior, & copioſior ſit contra quo ſubtilior calidior & humidior tenuior minorque exhibetur hic Potus non vt vulgus facit cum aliquo cibo, ſed citra quemlibet niſi fortè ventriculus ægre frigidæ potionis contactum admittat alioquin omnium ciborum vſum interdicere ſatius eſt; Ne complectendo novum ventriculus prius coctum non deferat, ſed corrumpat: Tempus accommodatum porrigendi delativum potum eſt, poſt integram concoctionem ciborum in ventriculo, vbi ructus nullam qualitatem ingeſtorum referunt, ad minimum tranſactis horis quinque aut ſex à paſtu, atque tunc ſi ſitim ægre ferant, &

gravit

gravitatem circa ventriculum ſentiant bibere jure optimo poterunt. Dum verò elixantur cibaria, aut abſtinendum, aut ſi vrgeat ſitis parum aſſueti Potus accipiendum; ne cibi dum ſit concoctio in ſtomacho fluctuent, aut crudi ad jecur tranſeant PAULUS, Cap. 45. Lib. 3. à balneo jejuno ante Vinum aquam temperatam nephritico potandam exhibet, tanquam omnium præſtantiſſimum remedium ad calculos arcendos ALEXANDER TRALLIANUS, Cap. 3. Lib. 9. Ante omnes cibos aquam tepidam commendat inquiens bibere autem opportet ante omnem cibum, aquam tepidam nil enim renes adeo recrementis vacuos temperatoſque reddit vt non amplius calculos procreare poſſint nam temporis ſpatio igneus ipſorum calor à tepore aquæ extinguitur Sunt qui jejunis hauſtum Vini aut cerviſiæ tenuioris mane concedunt non ſolum vt reliquæ alimenti, à ventriculo per venas deferantur; Sed etiam vt fervor jecoris contemperetur calculi expellantur viæ vrinariæ expurgentur, & alvus lubrica conſervetur verum potus iſte debet eſſe tenuis ſubſtantiæ, vt cito ſecedat, nec diu in hypochondriis hæreat deinde aut Medicamentoſus, aut Medicamenti rationem habens.

Ante

Ante cibum Græcis in usu fuisse potum constat apud Athenæum, Lib. 3. ex Caranæpulo nuptiali in quo singuli convivæ statim post-quam accubuerunt Phialam exsiccarunt & cœna Cleomenes Lacedemonii cujus hic fuit ordo vt ante eam Vini cyathus cuique porrigeretur quin etiam PLUTARCH. Lib. 8. Sympo. Quæst. 9. inquit antiqui nec aquam quidem biberunt antequam edissent nunc ante cibum captum Vino appleti humectato & fervente corpore cibum aggrediuntur. Atque hunc morem initium habuisse Tyberio Claud. Principe apud Romanos testatur Plinius, Cap. 22. Lib. 14. Hinc est quod ejusmodi potiones Græcis dicantur propomata quasi primæ & ante omnem cibum haustæ quibus nonnunquam admiscebantur ex Athenei, Lib. 2. Piper, Malabathrum, Myrrha Cyperus ita vt Vina factitia dicta fuerint propomata ab Ægineta, Cap. 15. Lib. 7. Alexand. Tral. Lib. 1. Cap. 15. & Lib. 11. Cap. 1. Pallad. Lib. 3. Titul. 32. Ætio Tetrab. 1. Serm. 1. Cap. 57. & 72. Nec tantum cœnam antecessisse propomata verum etiam prandium liquet quod Plutarch. Quæst. 6. Lib. 1. Sympo. ex Heraclide pugile qui alios vocavit ad propoma alios ad ἄριστον, alios ad δεῖπνον, alios ad κῶμα. Propomatum etiam appellatione

pellatione complectitur Athanæus, Lib. 2. quæ mensæ siccæ dicuntur Latinis gustus gustatio antecœnium promuleis cujusmodi sunt ostræa echini cruda olera, &c. His verbis inter ea quæ ad propomata parabantur, tum alia, tum ista fuerunt malva, &c.

Delectabantur Potu ante æpulas eum Græci, tum Romani, vt confirmato & corroborato stomacho ad edendum bibendumque magis incitarentur ab hoc more non alienos videmus Anglos, & nostros Scotos, qui convivia inchoant haustu Vini Hispanici prævio quin etiam non deerant, qui genio liberius indulgentes Vina præpotabant ad vomitum concitandum, vt sic evacuato stomacho major esset cibi Potusque appetentia, vnde Iuvenal. Satyr. 5.

Tandem illa venit rubicundula, totum
Oenophorum fitiens, plena quod tenditur vrna
Admotum pedibus, de quo sextarius alter
Ducitur, ante cibum rabidam facturus orexin
Dum cedit, & terram luteo ferit inteſtino
Tantum alta in dola, longus
Deciderit serpens, bibit & vomit.

Huc facit & illud Martial. lib. 7. Epigr. 66.

Non cœnat prius, aut recumbit,
Quam septem vomuit deunces.

Hanc fecem hominum Seneca Epistola 83. jejunos potatores vocat: Quorum corpora in saginâ, animi in macie & veterno sunt. Potus autem Medicamentosus plerumque stomacho vacuo datur, frigidus qui calida, calidus qui frigida ventriculi intemperie afficiuntur; Alias Sani jejuni bibere non debent, quia Potus tenuior, frigidiorque vt aquæ, cervisiæ, aut Vini multum diluti, ventrem nudum cibisq; carentem immodicè refrigerabit, & humectatione laxabit: Potentior autem, veluti Vini paulo meracioris, multum calefaciet, & exsiccabit: Cerebrum nervosque feriet, sanguinem jecurque adurit, præcipuè in adolescentibus. Quare graviter peccant non modo juvenes; sed omnes natura paulo calidiores, rarioriſque texturæ, qui spiritum Vini, aquam vitæ, Vina generosa, mane jejuno stomacho ingurgitant nam præter alia mala, tandem vitiato hepate hydropen sibi accersunt: An Potus actu calidiores, an frigidiores magis conveniant dubitatione aliqua non caret. Nam actu calidiores, teste Gal. 3. de Sanit. Tuend. Appetitum ciborum minuunt, fastidium pariunt, vires viscerum obtundunt, torporem mentis, sensuumque inducunt, &c. Nimis frigidi spirandi difficultatem, tusses sputum sanguinis, disruptis vasis pulmonis,

distilla

diſtillationes debilitatem ventriculi partiumq; nervoſarum, dentium ſtuporum, &c. Conciliant nihilominus Sanis actu frigidioros magis ex vſu ſunt præcipuè qui calidum ſpirant eoſq; lubentius appetunt qui verò frigidum ad menſuram frigiditatis, calidum deſiderant. Actu frigidis Potus melius ſitim reſtinguet, appetitum monet, viſcera roborat, nativum calorem auget. Quare Sanis porrigendus, potiſſimum juvenibus robuſtis. Viſcera firma habentibus, & exercitatis ſedata primum turbatione corporis tempore calido. Partius ſenibus, pueris natura frigidis aut debilibus, quibus viſcera invalida; ſed his parciſsimè, ſtigore præmente, nunquam pleuriticis aut inflammatione partium internarum laborantibus, nam talibus Potus calidus non frigidus debetur. Cæterum nimia Potus frigiditas ſanis interdum nocet, ſi non paulatim, ſed affatim ingeratur: Quia venter facilius magnam frigiditatem ſuſtinet ſi ſenſim potius quàm conſertim offeratur ita Potus, nec fluctuat, nec concoctionem tardat; Peculiariter aquæ frigidæ Potu læduntur qui nullatenus aſſueti ſunt. Aut quibus parum ſanguinis carniſque, & ventriculus nervoſumque genus imbecillè, nec non qui multis crúditatibus abundant aut tumore, inflammatione aut obſtructione

viſceris laborant: Quin & frigidæ potio ex labore ſudanti pernicioſiſſima eſt: Atque etiam cum ſudor ſe remiſit itinere defatigatis, vel exercitatis noxia. Laudatur tamen Potus aquæ frigidæ dulcis in vigore febrium acutarum apparentibus ſignis concoctionis modo natura rebuſta, frigidæ aſſueta, viſcera firma & valida, ſucci plena fuerint, copia non parva ſed liberali quod exiguo Potu, citius calor augeatur, quam minuatur: Sicut in fabrorum obſervatur officinis, qui vt ignem ferventiorem efficiant, aqua modica aſſpergunt non copioſa ſuffundunt. Quamvis Gal. calidum Potum in Sanis non admittat, & Plinius vt non naturalem rejiciat, exemplo brutorum frigidum ſequentium. In vſu tamen apud veteres ſuiſſe monumentis ſuis prodiderunt Martial. Lib. 1. Epigr. 12. Lib. 6. Epigr. 86. Lib. 8. Epigr. 68. Lib. 4. Epigr. 105. Iuvenal. Satyra 5. Seneca Lib. 1. Cap. 12. & Lib. 2. Cap. 25. De ira Ammonius Marcelli rerum geſtarum, Lib. 28. Cornelius Tacitus Analium, Lib. 13. Apuleius Metamorph. Lib. 2. M. Varro. De Lingua Latina, Lib. 4. Iulius Pollux, Lib. 9. Cap. 6. Athanæus, L 1 8. 3. Hinc Thermopolia apud Plautum, in Curcul. Act. 2. Schæn. 3. Trinum Act. 4. Schæn. 3. Quæ ſunt Cauponæ in quib

in quibus non ſolum puram putam aquam ad bibendum vt nonnullis placet: Sed & potiones medicatas venditas fuiſſe manifeſtè colligitur ex Plaut. in Pſeudolo, Act. Secund. Schæna 4. his verbis:

Ecquid habet is homo aceti in pectore? Ch. *Atque acidiſſimi.*
Quid, ſi opus ſiet, vt dulce promat indidem, ecquid habet?
Ch. *Rogas? murrhinam, paſſum, defrutum, melinum, mel quoijuſmodi*
Quin in corde inſtruere cœpit Thermopolium.

Verum calidæ nomine intelligendam non communem, & quæ ſuapte natura talis eſt, ſed igne calefactam liquet ex Ulpiano & Paulo jureconſultis quorum hic Leg. 12. Quæſit. ff. de inſtru. inquit vas ahenium in quo ſapa coqueretur, & defrutum fieret, & aqua ad bibendum lavandamque familiam pararetur ille vero in Leg. 18. cum de Lanionis §. Aſinam ff. de inſtructo, vel inſtrumento legato, nec multum refert inter Cacabos & ahenium quod ſupra focum pendet hic aqua ad potandum calefit in illis pulmentarium coquitur. Unde Potus nonnunquam tam calidus vt gutturem ambureret ex Militis Plaut. Act. 3. Schæn. 2. & calices manus offenderent ſicuti re-

ti refert Clemens Alexandrinus Peudagog. Lib. 2. Cap. 3. inquiens argenteorum & aureorum gemmeorumque poculorum irritus eſt vſus & invtilis vt qui ſit viſus ſolum deceptio. Nam ſive iis calidum MIXTUM LIQUOREM (Græcè crama quod ſignificat Vinum aqua mixtum, ſeu Vinum dilutum, & aqua temperatum ex Plutarch. Lib. de Sanit. Tuend.) infuderis ex calefactorum vaſorum moleſta eſt tractatio.

Frequens autem erat Potus calidus apud veteres ſicuti multis etiamnum expetitus vel propter debilitatem ſtomachi quæ tanta nonnunquam eſt vt ab omnibus frigidis lædatur, quocirca veroſimile nobis videtur ob hanc eandem cauſam apud Sinas quotidianum fuiſſe potum ſerventem etiam in ſummo eſtu ſive ille Vinum ſit, ſive decoctio Chia, ſive aqua vt reſtatur Nicolaus Trigautius, Cap. 7. Lib. 1. de Expedit. Chriſti. & Ioannes Petrus Maffæus, Lib. 12. Hiſtor. Indica. de Japoniis aquam calefactam pene ferventem ætate pariter & hyeme bibentibus; vel quod gulonibus maxime gratus; Proclivius & facilius in ſtomachum deſcenderet; vel deniqúe vt majori cum ſecuritate vomerent ſeſeque rurſus ingurgitarent.

Hoc

Hoc genus hominum, ait Seneca, Lib. de Conſolat. ad Helviam. Cap. 9. Vomere vt edant edere, vt vomant, ideoque Claudius Romæ Thermopolia ſuſtulit & bonus Cenſor quaſi curva correcturus calidam in cauponis proſtare ſerio interdixit, vt ait Diocaſſius, Lib. 60. Potus pro ſiti non naturali, aut morboſa variè adminiſtrantur: juxta diverſitatem cauſarum. Nam ſi oriatur ab ariditate, ſive defectu humidi in ventriculo, ſit conſuetus aut eo paulo tenuior; ſed magis humectans, vt cerviſia tenuior, Vinum dilutum, interdum aqua hordei, &c. Paulatim verò ſæpiuſque bibere expedit. Quia vberius madefacit, quam ſi majori copia confeſtim ſubitoque ingeratur ſi ſitis ſit à caloris copia in ventriculo, ſine vlla viſceris inflammatione. Primum cibi & labores detrahantur, & actu, poteſtateque frigido vtantur: Si à totius corporis calore, Potus ſit poteſtate tantum frigidus, ſimulque tenuium partium vt totum corpus, celeriter pervadere queat. Si ab humoribus acribus aut falſis, os ventriculi inſeſtantibus Potus ſit actu calidus, poteſtate frigidus, qui ſi ſtomacho contineantur, lentè paulatimque bibatur, vt facilius cum iis miſcentur acrimoniaque contemperetur. Verum in his omnibus caſibus quia ſomnus dum calorem cum

ſanguine ad interiora revocat, viſcera humectat, humoreſque concoquit ideo Gal. 6. Epidem. 4. Sect. 21. Com. primum & communiſſimum ſitis præſidium vocatur.

Tandem ſi excitetur ſitis vitio pulmonis aut pectoris crebra aeris inſpiratione frigidioris magis, quam potu aut multa oris collutione levatur. In morbis verò Potus præter id quod ſitim ſedat & vehiculi vicem ſupplet non modo vires ægri tueri, ſed etiam morbos eorumque cauſas deſtruere, aut ſaltem nullatenus augere debet: Unde Potus in ægris alii, corrobotantes nutrienteſque, quales ſunt plerique ſavorum alii curantes & medicati. Cæterum Sanis pro ſiti naturali, aut in vſum ciborum Potus medicati non conveniunt, ſed ægris, aut neutris nam quo puriores, ventriculo Sano vtiliores guſtuique gratiores ſunt. Ex immoderato Potu ebrietas & crapula naſcuntur quæ inter ſe differunt ex Ariſt. 17. Prob. Sect. 3. Quod illa mentem quatiat, hæc verò judicio conſtante dolorem excitare ſoleat, præcipuè capitis ex fervore quodam à vaporibus ſurſum elatis. Verum enimvero licet omnes propemodum gentes pervaſerint vt virtutum loco habeantur quod fontes ſint vitiorum, corporis animique funeſtorum, deteſtandæ. Ut meritò hinc laudandi veniant

Gothi

Gothi quamvis barbari qui lege caverunt ne quis poculis certaret, ſuoſque annos biberet veterum Romanorum norē abſq; dubio abolere conantes qui vino turpiſſimè ſe ingurgitabant atque tot Cyathos evacuabant quot literæ in nominibus amicarum erant, vt teſtatur Martial. Lib. 1. Epigram. 72. inquiens:

Nævia ſex cyathis, ſeptem Juſtina bibatur;
Quinque lycas, lyda quatuor Ida tribus
Omnis ab infuſo numeratur amica falerno.

Socratem itaque ſequamur ducem qui ſuadere ſolitus illos cibos potuſque vitandos qui vltra ſitim famemque ſedandam producerent appetitum. Quod ſi liberius genio indulgendum, vel importunitate ſedalium magnatumque coacti, vel voluptatis quandoque blanditiis pellecti invitemur ſaluberrimum erit conſeſtim vomitu ſtomachum exonerare. In quem vſum Avicenn, ſingulis menſibus ad vomitum bibere conſulit vt evocetur facilius quicquid ſuperflui in eo contietur. Eundem etiam commendat GAL. Cap. 4. Lib. 5. de Uſu partium, & Veteres Medicos laudat qui vomitum precipiebant repeti à cibis ſingulis menſibus, aliis quidem ſemel, aliis vero bis. Cæſarem etiam vomere ſolitum à cœna oſtendit Cicero in Oratione pro Deiotaro. Crapu-

læ vero remedium nullum efficatius repe-
ritur quam postridiè corporis animique quies
somnus prolixior deinde mollis deambulatio
in vmbra aere tranquillo serenoque hinc ci-
bus facilis concoctionis quem excipiant re-
frigerantia astringentia vopares à ventriculo
ad cerebrum ascendentes reprimentia, vt se-
men coriandri præpa. Cydonio, &c. Verum
si adhuc permaneat & æitus magnus in Hy-
pochandriis; cum gravitatè capitis persistat
tantum exhibeatur Vinum multa aqua dilu-
tum, aut cervisia tenuis Celsus potionem
aquæ probat quæ non nisi consuetis tuto con-
ceditur. Si adsit fastidium detur Vinum ru-
bellum subastringens, & deferveſcente cra-
pula ad discutiendas reliquias vaporum cor-
roborandum ventriculum juvandamque con-
coctionem non invtilis est Potus Vini aut
cervisiæ potentioris. Unde non sine ratione
persuasim est Vini noxam Vini Potu elui.
Quod si largius convivandi necessitas incidat
vt metuas ne Potus copia obruaris præcedat
vnius ferè diei abstinentia sic non modo fir-
mior venies ad pocula, sed etiam ea inter-
missione minus offenderis Vini copia. Ad ar-
cendam ebrietatem commendantur amygda-
læ amaræ quinque vel sex prosumptæ quibus
alios omnes vincebat bibendo quidam, vt re-
fert

fert PLUTARCH. in Sympo. Lib. 1. Quæſt. 6. Et cum id facere prohibuiſſent ne tantillum quidem ad compotationem ferendam valuit. Laudatur etiam & braſſica quam tali facultate dotatam novit Cato, De re Ruſtica, Cap. 156. Inquiens, ſi voles in convivio multum bibere cœnareque libenter ante cœnam eſto crudam quantum voles exacetо: Et item vbi cœnaveris commeſto alia quinque folia: Reddent te quaſi nihil ederis biberiſque, bibeſque quantum voles. PLINIUS de eadem Lib. 20. Cap. 9. Ait antecedente in cibis caveri ebrietatem poſtea ſumpta crapulam diſcuti, nec mirum cum vitibus ſit inimica, & vt habetur apud Athenæum in fine, Lib. 1. Oderem ejus averſetur. Sed animadvertendum braſſicam Græcis cramben appellatam raphanum antiquitus ſicuti teſtis non ſolum Athenæus, ſed & Ariſt. Cap. 19. Lib. 5. De Hiſt. Animal. his verbis erucæ naſcuntur ex foliis virentibus præſertim in raphano quem nonnulli cramben, hoc eſt, braſſicam appellant.

De AERE,

CAP. 6.



X Rebus non naturalibus aeris est summa neceſſitas: Nam in eo nos extrinſecus tangentè, ſemper verſamur continuoque ad ſpirituum generationem, caloris nativi contemperationem, vitæque noſtræ conſervationem fruimur quin & inſpiratione per os nareſque in pulmones, cor, cerebrumque receptus & tranſpiratione per poros cutis corpora noſtra immutat atque ita perpetuo ingrediens egredienſque ad nos fere omnes cæteratum externarum cauſarum alterationes, vt ignis aquæ terræ, ac ipſos etiam cœleſtes aſtrorum influxus, deducit quia mediante aere hæc omnia nos afficiunt ideo cauſa peſtis aliorumque morborum epidemiorum exiſtimatur ac illud divinum in morbis cujus meminit Hipp. 1. Prognoſt. juxta Galen. in aere eſt & per eum nobis communicatur: Licet à cœlo aliiſque

aliisque causis proficiscatur. Affert enim vicinus quisque aer, contigui affectionem, contagionemque in morbis pestilentibus. Nam nisi veneni violentiam in se reciperet, & de se rursus remitteret aer, basiliscus visu suo hominem non interimeret: Ideo magna vis aeris est in corpora nostra qualitates acceptas refundendi. Considerantur autem in aere nos ambiente duo qualitas, & substantia: Respectu qualitatum primarum aer aut est temperatus, aut intemperatus calidus, scilicet, frigidus humidus siccus, &c. Ratione verò substantiæ tenuis aut crassus, lucidus, aut tenebrosus, sincerus nitidusque aut impurus, nebulosus inquinatus, putridus ac primum aer qui inspiratione & exspiratione attrahitur emittiturque si naturæ conveniens: Debet calorem nativum in corde totoque corpore contemperare & à pravis fimuis vindicare generatumque spitituum vitalium & animalium inservire. Qualis in qualitate temperatus, in substantia tenuis, purus, & lucidus cor cerebrumque reficit spiritus sinceros, efficit, sanguinem deputat, calorem nativum, & corpus in sua temperie conservat crassus verò tenebrosus aut turbidus, sensus, mentemque. Obfuscat, corturbat, corpus gravat, crassos minusque bonos spiritus producit. Corrup-

tus aut putridus, qui ſecum malignam aliquam qualitatem defert, ſubſtantiam ſpirituum ſubvertit. Peſtilentes morbos generat peculiariter naturis temperatis aer iiſdem qualitatib⁹ perfuſus accõmodatiſſimus eſt intemperatus intra ſanitatis limites manentibus vt in eodem ſtatu conſerventur: Similis in pari gradu ferè in quibus autem vna aliqua elementarium qualitatum exſuperantia magnus fuerit à mediocritate receſſus, vt ad meliorem temperiem firmioremque ſanitatem perducantur, contrarius ſaluberrimus nam ad aeris mutationem corpora neceſſario mutantur: Ut aere impenſius calefacto, refrigerato, humectato aut exſiccato corpora contenta vna ſemper calefiant refrigerentur, humectentur, aut exſiccentur & in benevalentibus ſymmetria corporum quæ ſanitas eſt pervertatur, infirma diſpoſitione affectis morbi à ſimilibus augentur à contrariis minuuntur aer vero tenuis, purus, nitidus, omnibus tam ſanis quam ægris aptiſſimus eſt ſiquidem in eo corpora bene difflantur pravi fumi expurgantur ſpiritus vitales & animales ſinceri benignique naſcuntur, omnes actiones melius perficiuntur plus alimenti appetitur, concoquitur ſalubriuſque vivitur at craſſus impurus, nebuloſus, corruptus inimicus cunctis, quod congenerem

nerem qualitatem nobis invrat. Alterationem etiam subit aer pro dispositione temporum propter motum solis: Deinde pro natura ventorum: Tertio pro situ & qualitate regionis, atque etiam loci cujusque particularis: Sol enim motu proprio sub Zodiaco annum & quatuor illius tempora communi vero ab occasu in ortum diem & noctem constituit. Nam planum est anni tempora quatuor, sua natura aerem nos ambientem alterare, & singulis etiam anni partibus serenitates siccitates & pluvias ventosque accidere. Deinde alterationes aeris juxta anni tempora maximè morbos parere, sed præcipuè in ipsis magnas & repentinas mutationes caloris & frigoris siccitatis & humiditatis. Medici veteres quatuor anni tempora, vt Astronomi per quatuor puncta cardinalia non distinxerunt, sed juxta qualitates in aere dominantes. Nam ver appellant vbi mitescit hyems & aeris status in temperatam caliditatem humiditatemque declinat, æstatem si in aere caliditas siccitasque prævaleant. Autumnum si cum inæqualitate caloris frigorisque siccitas adsit: Hyemem vbi frigitas siccitasque super ant. Eadem propemodum ratio est in partibus diei sicut in temporibus anni, Nam tempus matutinum respondet veri, meridies, æstati:

Veſpertinum autumno, nox hyemi tempora illa quatuor anni ſi ſuam naturam ſervarint in qualitatibus propriis, tempeſtivo ordine ventorum, ſerenitatis, ſiccitatis, & pluviarum conſtantia exiſtimantur, annumque conſtantem faciunt atque morbos adducunt proprios conſtantes bonique judicii. Quod ſi extraneas induant vt ver ſit autumno ſimile, & ordo pervertatur in ventis, ſerenitate, ſiccitate, & imbribus, magnæ repentinæque mutationes oboriuntur, vt non ſolum alieni à natura cujuſque temporis morbi ſint expectandi, ſed etiam inſtabiles mali judicii, & pernicioſi; quemadmodum in diuturnis ſqualoribus aer ſiccior per aſſiduas pluvias humidior efficitur ita pro qualitate & natura ventorum alteratur, nam qua ſunt facultate præditi eandem ſubire aerem neceſſe eſt. In noſtro hemiſpherio boreas aquilo cæterique qui à ſeptentrione ſpirant frigidi ſicci ſunt indeque ſereni & ſalubres præcipuè æſtate quo tempore Etesiæ flant Contra boreæ opdoſitus Auſter calidus humidus nebuloſus, turbidus pluvioſus quare cæteris pernicioſior: Mediante ſiquidem aere corpora noſtra, aliorumque animalium, nec-non frumenta corruptioni obnoxia reddit calamitoſus qui verno tempore frequenter ſpirat, nec alias valdè vtilis,

benign

benignior tamen est impetuosior quam lenis præcipuè qui Leuconotus à veteribus dicitur. Nam qui cum violentia perflat, exsiccat aeremque purum efficit vt ferè sine pluviis sit vnde Arist. ἄνυδρον vocat. Licet autem boreas in vniversum convenientior habeatur, non tamen omnibus malis caret eo enim dominante, invalidis, membra exaugia facilè offenduntur, vt infra latius apparebit venti subsolam, cæterique collaterales, qui ab ortu spirant, ob moram sub sole, calidiores sicciores existimantur, quam qui ab occasu, & qui ab occasu humidiusculi modiceque calidi. Aphrici tamen & Notolybici æstuosi humidi & tenitruosi, cauri, tempestuosi, procellosi, &c. Venti omnes ratione loci aut maritimi sunt, sive à mari spirant, aut mediterranei. Maritimi Regionibus vicinis exitiales sunt, sed longe à littore remotis quia franguntur priusquam eo perveniant non multum officiunt. Mediterranei vero à terra plana, arida, sicci sudique sunt. A montibus altis nivosisque frigidi præcipuè manè innoxii ab aquis limpidis renlisque celeriter fluentibus. Sed vesperi potissimum quod humiditate sua aeris æstus squalorque temperentur, semper autem aer, ventis siccis perflatus, tenuior, purior salubriorque est vt in locis pla-

nis editisq; incluſus cavis convallibuſque, craſſus, impurus, corruptus: Nam inquinatur facilè quod quieſcit, nullo modo aut certè minus, quod inovetur diffiaturque. Habet autem aer ob ſubtilitatem corporis ſui motum quendam proprium qui ſenſus noſtros fugit. Verum ad ſui purgationem valentiorem deſiderat, vt niſi ventorum quaſi flabris agitetur, concutiaturque peſtifera in ſe concipiat ſemina, vt aer ſilens quieſcenſque longo tempore detrimentum adfert: Ita vehementes venti aeriſque concitationes: Nam ſpiritus & humores corporis conturbant, & debiles vt tabidi, ac melancholici, gravius, & difficilius ſe habent. In facultatibus tam naturalibus quam animalibus, præcipuè in illis locis vbi ex montibus in vrbes manant. Verum ſi regioni perpetua, & conſtans ſit turbinum varietas: Quod evenire ſolet, ad fauces montium, ibi neceſsè turbationem ſpirituum & humorum in corpore fieri ſimiliterque animos affici, ſin alicubi frequentes ſint mutationes ventorum, turbinumque inconſtantes difficiles, & protervos homines ibi reperiri, vt ſcribit PLATO 5. De LEG. Turbatis enim ſpiritibus & humoribus conſentaneum eſt turbationem quoque in animis evenire. Ideo veteres non pauci tantam morum & ingenio-

rum

rum varietatē ad aeris ventorumq; diversitatem retulerunt vt de Athenienſibus & Thebanis memoriæ proditum eſt. Mutatur aeris ſtatus, atque etiam nonnihil temporum anni qualitates pro Regionis cujuſque poſitu, diſpoſitione & natura loci particularis: Nam regiones ſub zona frigida & ad eam declinantes frigidiores ſemper ſunt quæ tropicis interjacent vicinæque calidiores quæ intermedio loco; aut ſub mediis climatibus magis temperatæ ſunt: Nec tantum exceſſum caloris, aut frigoris obtinent. Mutationes aeris in ſubſtantia, & qualitatibus ſecundis primas conſequuntur, & plerumque naturam, & diſpoſitiones loci cujus relatione ſunt à terra vel aquis, vel contentis in ipſis. Ratione terræ locus ſitus eſt vel in monte, vel declivi, vel in valle, aut convalle, vel in planitie. Deinde terra ipſa vel arenoſa paludoſa ſtagnoſa, vel lutoſa pinguiſque, &c. Loca in verticibus montium ſubtilem purumque aerem habent; ſed frigidum & frigidiorem quo mons altior regioque frigidior. In vallibus, & convallibus qui non perflantur calidum craſſum, impurum, corruptum: In planitie temperatum tenuem, purumq; niſi à vicinis paludibus ſtagniſve inficiatur. In declivi mortium, mediocriter quoque tenuem purumque; ſed ſi locus

ſeptemtrioni opponatur, & à vertice montis obumbretur. Ventiſque aquilonariis objiciatur aer frigidus erit, puruſque ſi meridiei, calidus craſſus impurus, ſi orienti aut occidenti temperatus ſemper autem regiones & loca obverſa ad ſolis ortum manè excipiendum, aut ad ſeptemtrionem vergentia ab Hip. & Gal. Salubriora judicantur: Sed quæ ad fauces montium protenduntur qua frequentius auſter inſpirat ſi ventus ex alto, ſeu in vallem labatur exitialis. Deinde loca arenoſa, ſiccum, purum tenuem aerem ſortiuntur: Cœnoxa paludoſa, humidum, craſſum, impurum, corruptum, lutoſa pinguiaq; denſum immundum. Secundo ab aquis propinquis, variantur aeris qualitates nam omnes per ſe vicinum aerem infrigidant & humectant præcipuè noctu maneque, ſed plus dulces ac fluviales, quam ſalſæ & marinæ: Attamen æſtate potiſſimum reflexio radiorum ſolis ſuper aquas fluentes, inter locum & ſolem, aerem calefacit lucidiorem gratioremque aſpectui reddit. Aer aquis vicinis mane humidior craſsior impuriorque eſt. Veſperi ſalubrior quod vapores ex aquis caliditatem ſiccitatemque veſpertini temporis nonnihil corrigant contemperantque præcipuè ex aquis currentibus limpidiſque non autem ſtantibus impuriſque.

Nam

Nam hæ quia facilè corrumpuntur aerem proximum vaporibus pravis putridiſque inficiunt. Tales ſunt paludes, ſtagna, lacus qui rivulos, nec recipiunt, nec emittunt. Ideo AVICENN. totus eſt in iis locis commendandis, quæ multos amnes alluunt paludes atque etiam prata vlginioſa paſtionibus apta incommoda adferunt non mediocria: Quod craſſam caliginoſam tenebroſam auram de ſe reddant & hyeme vehementiori frigore, æſtate mimo calore nos torqueant. Ideo vitanda omnibus aliqua diſcruſia laborantibus, maximè per æſtatem, Aſthmaticis quod præfocantem calorem habeant producunt quoque & loca illa ex putrefactione varia animalcula noxia, quæ terra & aquis continentur, aerem etiam ſolēt alterare, ſed magis quę terra quam aqua, nam quæ ſunt in flāminibus cum impetu fluentibus & mari aſſiduo fluxui refluxuique obnoxio ventiſq; multis agitato aerem quamvis non ita ſenſibiliter immutant. Quæ vero aquis ſtantibus aut rivolis lente repentibus juxta magnas vrbes vt in quibus animalium cadavera, latrinæ coriaciorum aliorumque mechacorum ſordes recipiuntur aerem putrida illuvie inficiunt & craſſum impurum fetidum reddunt. Præterea ex iis quæ terra vel de ſe fundit, vel gremio ſuo condit. Alia

naturalia ſunt: Ut lapides, mineralia plantæ, &c. Alia non naturalia quæ ſingula pro ea qua ſunt qualitate donata, aerem ambientem afficiunt. Nam lapidoſas regiones ob frigus aer hyeme graviter præmit æſtate ob calorem ſuffecat, & in argilloſis locis, terraque minus arida plus æquo calefacit: Qui ex mineralibus ſpirat quia impurus, caliginoſus, interdum venenatus in perniciem ducit. Verum mineræ plumbi, marcaſitæ Autimonii aerem refrigerant, exſiccant: Sulphuris calefaciunt exſiccant at Arſenici auripigmenti argenti-vivi, deleteria ſua facultate aerem corporaque noſtra in quinant. Præterea plantæ, videlicet herbæ, frucites, arbores, quæ temperatæ aromaticæ grati odoris, minus corruptioni obnoxiæ, ſalubri qualitate aerem perfundunt quæ valde acuti, aut ſunt amari ſaporis, vel injucundi fœtidique odoris, & viroſi corruptique aerem ſimili qualitate imbuunt cerebrum cor memoraque reſpirationi dicata offendunt, Sylvæ denſæ altæ, quod aerem obumbrent, & eventilari prohibeant aerem craſſum impurum, & habitationi ineptum reddunt. Verum commodius edificatur domus vbi arbores, ita denſæ proceræque non ſunt, vt perflatu m ventorum ſoliſque aſpectum minime proh ibeant, quod ſi ſylva à parte ſeptentrion

tentrionis ſit; hybernum frigus arcebit æſtivumque calorem augebit. Contra ſi à meridie ſyrium fervorem temperabit. Præterea ſpecus ſubterranei, ſpeluncæ avernales, ac fiſſuræ montium præcipue, poſt terræ motus mephitim viroſam exhalant quæ reſpiratione attracta ſpirituum ſubſtantiam ſubvertit atque vires cordis cerebrique labefactat, repentinam mortem, aut morbos peſtilentes accelerat. Idem, ſæpe præſtant pravi vapores prope vrbes ex cadaverum corruptione ſepulchorum apertione, vbilatet feminarium peſtis, ex latrinis ſterqui liniis, &c. Ex ſupradictis patet vrbes, oppida, villas, domuſque ſitas in locis apertis, editiſque ſive in aere libero, bene perflato, in terra ſicca, prope aquas lympidas fluentes aerem puriorem, tenuioremque obtinere indeque ſalubriores eſſe; Contra vrbes domuſque exſtructas, in vallibus convallibus locis paludoſis, aut juxta aquas quieſcentes, aut ſubjectas ventis tranquillis, & non bene perflatas, aut ab oriente, aut à ſeptemtrione averſas, (qualis teſte HIPP. fuit Cranon.) craſſum, impurum, vitioſum aerem habere & putridis morbis obnoxias eſſe. Verum enimvero aer in magnis vrbibus plerumque calidior, craſſior, & impurior quam alibi cum vt in convallibus

cohibetur motionis enim vacuitas denſiorem aerem reddit quem Sol radiis feriens promptius accendit adde quod ex omnis generis impuritatibus, ſterquiliniis, videlicet, cloacis, aer à temperamenti æquabilitate recedit, vt ruri potius domicilium ſit ponendum vbi liber patens nulliſque inquinamentis obſitus, aut corruptela perfuſus invenitur vt non ſine ratione Colamella Lib. 1. Cap. 3. De Re Ruſtica, in emendo agro, ſalubritatem. Cœli imprimis ſpectandam ſentiat adeo vt nemo in peſtilenti quamvis feraciſſimo, pinguique agro ſumptus facere debeat; Cum incertum ſit an dominum ſinat ad fructus pervenire, & potius mors quam quæſtus certior ſit. In ſumma elegenda habitatio eſt in locis altis, & odoriferis, quæ venti temperati ſerenant Solis radii fovent, vbi aquæ nullæ ſtagnant, culta ſterquilinio non pingueſcunt: vbi etiam quæcunque naſcuntur diu incorrupta ſubſiſtunt nam ibi raro ſunt homines longevi vbi terræ fructus repente putreſcunt deinde vbi aquæ immobiles permanent agrique ſtercorantur aer craſſior impuriorque redditur, & quæ ibi ortum trahunt, cito corruptelæ ſubjiciuntur. Nam Arist. loca operta & edita incolentes tardius ſeneſcere ſcribit quam quæ plauſtria & cava. Ideo Plato,

Lib. 7

Lib. 7. De Legib. locum vrbi ſuæ dilegit aſſurgentem paulatim in ſublimi id profuturum ratus non ſolum ob firmiorem munitionem, ſed etiam ſalubritatem. AVICENNA loca probat fluminibus irrigua, & PLATO vetat in vrbe nos pernoctare quam non percurrat fluvius & vbi exulant leges; Hic morum bonorum, illic ſalubritatis habita ratione. Qualitates quoque aeris mutant ipſæ domus pro differentia materiæ, formæ, ſitus, & quantitatis ejuſdem. Nam primum ſi parietes & pavimentum exſtructa ſint ex lapidibus, aut lateribus cum cemento aer tenuior puriorque eſt, ſed multo frigidior: Si ex lignis calidus: Si ex terra luto frigidus impuruſq; parietes auleis, ſive tapetiis obducti calidiorem aerem reddunt, & calce recenter incruſtati gravi halitu aerem inficiunt, & cerebro membriſque reſpirationis obſunt. Præterea domus multis feneſtris, & ſpiraculis perviæ quia liberius perflantur tenuior purior aer eſt quæ iiſdem carent ſi vt cellæ locaque concamerata, & teſtudinea craſſus impurus corruptus feneſtræ verè ad ſeptemtrionem ſpectantes frigidum habitationis aerem conſtituunt, ad meridiem calidum, ad ortum occaſumque magis temperatum. Tertio domus ſubterranea, vt cella craſſum aerem efficit,

æstate valde frigidum, hyeme calidum & ex concluſis vaporibus caliginoſum impurum corruptum, & diſtillationibus opportunum. Habitatio in ſuperficiè terræ ita vt pavimentum ejus ſit humus inſalubris quoque eſt ob denſum impurumque ejus aerem, ſed minus quam ſubteranea quemadmodum enim in aqua & quovis humore fex ima petit, ita in aere ſpiſſiſſima quaque ſubſidunt, vnde quo propior eſt terris aer eo craſſior quo editior, à terreſtrique colluviè remotior; hoc ſincerior puriorque. Optima ſunt domicilia tabulata, elevata à terra ob liberum perflatum, & aerem tenuiorem, purioremque. Quarto domus ampla, ſpatioſaque; id eſt, longa lata aerem liberum obtinet, ſed frigidiorem. Contra anguſta impurum calidioremque, præcipuè ſpiraculis multis deſtituta, & non longè à Solo elevata. Tandem domus continuo habitatæ aer, niſi fumo conturbetur vitio fornacum, calidior, ſiccior, tenuior, puriorque eſt, ex igne, hominumque ibi degentium frequentia: Contra deſertæ, cultoribus vacuæ, frigidior, humidior, craſſior, impurior in frigidis quibuſdam regionibus, ob hyemis ſævitiam hypocauſtorum, ſive vaporariorum creberrimus eſt vſus quorum aer vndique concluſus ex ſuccenſis incaleſcit;

leſcit; frigoriſque vehementiam contemperat. Verum quia non perflatur non-modo æſtuoſus, ſed etiam progreſſu temporis craſſus valideque impurus eſt, niſi ſæpè ventiletur: Et inſuetis, potiſſimum moleſtus. Ideo in iis dormire, nec Sanis, nec ægris, expedit. Si magna vis frigoris non vrgeat atque interim alternis diebus feneſtræ omniaque ſpiracula aliquamdiu pateant, vt expurgato concluſo diutius aere novus puruſque admittatur, quare meliora ſunt vaporaria ampla multis feneſtris diſtincta, ita ab humo elevata vt in media contignatione conſtituta, ab exhalationibus terrenis ſint libera.

Quæ corpora aeris injuriis magis minusve opportuna sint: Et quomodo vitare, & corrigere illas opporteat. CAP. 7.

MOLESTIIS Aeris tam ex alteratione in substantia quam qualitatibus, facilimè afficiuntur corpora tenella, humida laxa, raræ texturæ, quibus pori & meatus cutis patentiores sunt: Difficilius carnosa, densa, sicca, compacta, quæ vt ab aeris injuriis minus tentantur; ita læsa magis infestantur, deinde vt tradit HIPP. 2. APHOR. 2. Naturarum quædam ad æstatem, aliæ ad hyemem, benè aut malè se habent: Ad æstatem autem malè, ad hyemem benè corpora vltra modum calida sicca, contra frigidiora humidiora ad hyemem male, ad æstatem bene. Ex tempestatibus Anni Authore HIPP. 15. APHOR. 3. In vniversum siccitates imbribus sunt multo salubriores, & frigida sicca aeris constitutio,

tio, præferenda calidæ humidæ. Verum vt idem 18. APHOR. 5. Frigus inimicum eſt oſſibus, dentibus, nervis, cerebro, ſpinali, medullæ, atque etiam pectori. Sanitatis quidem ſtudioſo conſultiſſimum fuerit vniverſum corpus ab omnibus aeris incommodis tutum reddere: Sed quia partes nonnullæ vt cerebrum, ſpinalis medulla, nervi, oſſa exiguum calorem poſſident, quo ſe tueantur ab injuriis frigoris ambientis; Ideo officium cujuſque eſt eas à frigore munire, præcipuè caput: Non ſolum quod ea pars exanguis ſit, ſed etiam principium nervorum ſenſuſque, & motus, multaſque ſuturas habeat & cerebrum ob mollitiem & humiditatem, aeris impreſſiones facile recipiat neque ſolum à frigore, ſed etiam ab inæqualitate caloris ac frigoris cavendum. Nam vt GAL. COM. APHOR. 3. Frigus ſuperveniens calori, quaſi manus quædam extrinſeca velut ſpongiam præmens exprimit in cerebro, contentam humiditatem quæ delata à loco ad locum in his qui faciles ſunt, ad patiendum morbos generat, vt in oculis, lippitudinem, in articulis arthritidem, &c. At magna conſtipatio ab ingenti frigore profecta apoplexiam. Veternum, & ſimiles ceribri affectus excitare ſolet. Scribit quoque CELSUS ambulare in æſtu meridiano,

diano, ſoleve fervido diſtillationes gravedineſque concitare, imprimis vbi ſubito quis frigori ſe commiſit: Lædunt enim maxime aeris inæqualitates in calore & frigore repentinæ, vehementes, ſæpiuſque revertentes: Quod autumno præcipue accidit non quæ ſenſim paulatimque fiunt. In peſtilente aeris ſtatu, & contagione vagante ad eam maxime diſpoſita ſunt corpora humida, laxa, rara & quæ vitioſis humoribus replentur, vel libidines ſectantur, vel animi perturbationibus agitantur. Item ob peculiarem naturæ proprietatem & ſimilitudinem, vel cum corporibus quæ mediante aere contagium communicant; vel cum ipſis inquinatis. Super-eſt vt oſtendamus qua ratione illa aeris nocumenta declinare, aut reſarſire opporteat. Quemadmodum omnibus æque conducit, vt optimum ſaluberrimumque aerem hauriant, indeſinenterque ſpiritu ducant: Ita pernicioſum vitare & locum cujus mutatione Sanitas amiſſa recuperatur. Deſerere cunctis prodeſt quod ſi fieri nequeat vitia illius in qualitate & ſubſtantia funditus tollantur. Quare eligendus initio prout fert ſoli cœlique natura locus habitationi maxime commodus, qualis erit erectus in aperto aere, nec nebuloſo, nec impuro, bene perflato, ventis præcipue ſiccis,

obverſus

obverſus ad Solis ortum mane excipiendum remotus à mari, in terra modice ficca, minime cænoſa aut ſtagnoſa, prope aquas limpidas, celeriter fluentes: Longiſſime diſſitas, à paludibus aquiſque ſtagnantibus & corruptis, & ſi ſint lacus paludeſque eæ ad ſeptemtrionem, aut inter hunc & ortum æſtivum ſpectabunt, aut inter ſolem locumque, ne quo tempore radii à ſole ad hunc perveniant corrupti pravique vapores vna ferantur. Deinde vt lacus paludeſque à corruptione liberentur, nec beſtiarum paluſtrium, vt fieri conſnevit multa genera in aquis naſcantur ſtantibus corruptiſque ad limpidas fluentes, aut ipſum mare via aperiatur, foſſæque ducantur. In ſumma domicilia ipſa ſint ampla ſive laxa; id eſt longa, lata, alta, cum atriis aulis & triclíniis ſpatioſis qui ambulationibus ſint idoneæ ad omnes aeris alterationes, nec improbanda eſt domus anguſtior multis ampliſque patens feneſtris, non ad teſtudinis formam coacta; ſed altis porrectis lacunaribus, vt copiam liberi aeris melius hauriat. Nam inarctis obſcuris domiciliis, aer eſt impurus, craſſus, putridus, qui diſtillationes, Aſthmata, lethargum, & ſimilia mala excitare ſolet: Niſi igne claro malitia ejus ſubinde corrigatur. Ut poſt dicetur. Triclinia cubiculaque

sint in parte à terra elevata, spectabuntque triclinia HYBERNA, occasum sive AFRICUM, verna Autumnaliaque Orientem, æstiva septemtrionem quod ea Regio Syrios calores contemperet, & salubritatem voluptatemque adfetat. Cubicula & Bibliothecæ ad Orientem potissimum vergere debent, sicut & fenestræ ob matutinum lumen æstate tamen versus septemtrionem pateant: Et si Regio frigida sit hyeme, ad Orientem vel Eurum, aut Africum. Substernetur domus pavimento ex tabulatis, vel lapide coctili parietes sint auleis, sive tapetiis, aut asseribus, obducti & in cubiculo recenter calce incrustato, aut illius odorem aliquem adhuc spirantem nullatenus est dormiendum. Optimè agitur cum corpore Sano modo circumfusus aer fuerit in qualitatibus temperatus, substantia tenuis, purus, vt supra dictum est.

Quod si à temperie recesserit, vt præcipit GALEN. LIB. ART. MED. CAP. 85. Decet cæteras omnes causas non naturales, ad contrarium deflectere. Nimirum cibum, potum, somnum, vigiliam. Dico cæteras omnes quia aeris alteratio perpetua est, simul semelque pluribus modis accedens, contactu, inspiratione, transpiratione: Aliæ causæ rarius occurrunt, & vno die semelbis, aut ter similiqué etiam

etiam modo agunt, & aut poteſtate, aut ex accidente, tantum corpora noſtra afficiunt. Ideo ſi lapſum aeris quis tentaret vnius cauſæ ablatione corrigere, validior multo futura eſſet, quam vt vno acceſſu faceret cum aer aſſiduo introrſum extrorſumque vires ſuas exerat. Nam Alimenta ſi ad contemperandam aeris caliditatem ſufficere deberent ventriculo vehementer obeſſent, & ſomnus multo longior futurus eſſet, quam natura exigit. Quare vna aut altera cauſarum non naturalium ad aeris noxas amovendas, non ſufficit, eo enim labente, ad aliquam intemperiem cæteras in contrarium declinare opportet: Ut vna ex cunctis æquipollens aeri fiat; & omnes parum menſuram propriam naturæ convenientem excedant. Deinde injurias aeris à corporibus noſtris arcent non modo domus habitationeſque accommodatæ, ſed etiam veſtimenta lectique operimenta non per ſe, ſed per accidens reflectendo tantum vapores, qui à corporibus ſpirant, ipſaque calefaciendo eoque magis quo major fuliginum reciproatio, diuturniorque conſervatio fuerit, ideo veſtes craſſæ, denſæ, piloſæ, vt laneæ, pelliceæq; plus in repellendo gelidum aerem pollent, quam lineæ, aut ex ſimplici ſerico confectæ. Deinde veſtimenta aſpera compa-

ctaque corpora exsiccant indurantque contra mollia, leviaque emolliunt. Quare vestes ex serico tenuique lino parum calorem nostrum adaugent, quæ multis pilis abundant plurimum calefaciunt, quæ vero paucos duros asperosque obtinent quamvis siccandi non tamen calefaciendi, facultate sunt prædita. Pelles calidorum siccorumque animalium licet arcendis frigoris injuriis, non multum conferre videantur, hoc tamen secum adferunt incommodi vt pulices in nobis producant, maximè vulpinæ: Humidorum verò, in quorum censu est agnina madorem quendam conciliant, sed pediculos dicuntur procreare. Quare tempore æstivo vestes paucæ, tenues, raræ simplices conveniunt, hyeme multæ crassæ, densæ, pilosæ, villosæque. De culcitris lectique opertoriis, & stragulis infra Cap. de summo & vigiliis dicetur. Tertio laborandum imprimis est vt vitia aeris, in qualitate & substantia submoveantur cujus immodica caliditas vt tollatur, eligenda est habitatio in locis ab Austro aversis feneſtris, ad septemtrionem spectantibus; Pavimentum domus sternatur recentibus floribus. Rosarum, Violarum, Nympheæ foliis, Salicis, Myrti vitis, Acetosæ, &c. Parietes aspergantur oxicrato aut aceto aquaque rosacea, addito interdum

pulvere

pulvere Raſorum Rub. Balauſtiorum, Santalorum, Camphoræ, &c. Deinde nimia aeris frigiditas, humiditas & impuritas reparantur, & temperantur, igne qui domi moderatus ſit ex lignis ſiccis non inſuavis odoris, in caminis fumo perviis. Nam non ſolum frigiditatem, & humiditatem, ſed etiam malitiam aeris domeſtici caſtigat caloremque nativum ſuſcitat, ideo domicilia, quæ igne perpetuo carent, propter craſſitiem impuritatemque aeris inſalubria ſunt. Adhibendus in igne modus prout arcendi frigoris caloriſque nativi excitandi, neceſſitas vrget, verum fumus ante omnia vitandus eſt, & ignis ſuccenſus ex lignis fomentiſque viridibus, aut grave olentibus; Nam oculos offendit, caput gravat fauces, pectus membraque reſpirationis lædit, ſpiritus intercludit: Laudantur pro igne ligna arida exiguum fumum edentia: Minus ceſpites quamvis deſiccati, aut etiam lapidoſi carbones ardentes quia dolorem capitis inferunt, extincti vero pravam qualitatem cerebro noxiam de ſe fundunt. Verum horum malitiam quidam injectu Salis, aut Vini reſarcire conantur. Ad focum autem lucentem melius eſt averſo corpore, aut interpoſito vmbraculo nos calefieri, Nam expoſita facie ad ignem debiles oculi infeſtantur, & caput dalore in-

terdum tentatur: Fugienda sunt hypocausta, nimis calida angusta longiorque mora in locis nimio æstu torridis concluſisque quæ liberam respirationem non habent; Nam spiritus dissipant, calorem nativum dissolvunt, humidum primogenium exsiccant. Satius est ergo aliquantulum frigoris tollerare, quàm tantam vim caloris sustinere vt membra sudore diffluant vnde virium languor, & motus segnities sequuntur. contra frigiditatem, maximè caput dorsum pectus pedes muniendi in tenui puro sicco modice calido aere, omnibus tam Sanis quam valetudinariis vivere confert. Iis autem præcipuè, qui morbo aliquo capitis, aut pectoris vexantur, vt Phtisicis, Asthmaticis, & similibus propterea loca edita, salubriaque petenda, vt vapores crassi noxiique discutiantur. Nam aer si vitiatus sit in substantia nimirum impurus, corruptus, aut pestilens, quod ex pravis exhalationibus accidere consuebit, Medici erit causam à qua inquinatur, vaporesque oriuntur, removere. Deinde corruptionem, malignosque ejus halitus, dispellere & absumere, qui si ab ægris pestilenti morbo affectis locisque infectis sint, Domum mutare tutissimum est, longeque à contagione recedere, & tarde redire, aut saltem flatum ex ædibus ægrorum, in nostras spirantem cavere etiamsi

etiamsi longiori dissiti simus intervallo, & inquinamenta arcere atque si fieri possit corrigere. Quod si stagnantes atque paluſtres, aquæ auras emittant putrescibili facilè qualitate aerem replentes, exsiccandæ: Aut puræ fluentesque superinducendæ si à specubus subterraneis, arctissimè claudendi, si à cloacis aut impuritatibus diligenter expurgandæ, aut removendæ, si à cadaveribus alte sepelienda: Pernisiosi verò halitus in aere susceptí disperguntur corruptioque penitus aufertur vehementi commotione à ventis præcipuè siccis, aut excussis tormentis bellicis, vel denique igne, cujus magna vis est ad tetros vapores pestisque seminaria absumenda, & corruptionem tollendam: Quare contagione invalescente non solum domi, sed etiam in vrbis plateis, Medici frequentes ignes luculentosque succendere jubent, ex quercu fago abiete, pino, junipero, lauro, reremarino, myrto, lavendola, thymo, & similibus, bene olentibus, quorum maxima est efficacia in aeris vitiis submovendis; Nam suaves odores non solum aeris circumfusi impuritates abigunt; sed etiam spiritus reficiunt cor & cerebrum confortant. Verum eadem omnibus naturis & quolibet tempore non conveniunt, sed temperatis, Temperata: frigidis, calida: calidis

frigida minus enim calidi odores in calidis præcipuè caput replent atque catarrhos adferunt, frigidis tempestate frigida fiant suffumigia ex thure storace calamita, benzoim succino, ligno aloes flor. lavendolæ anthos baccis juniperi, lauri, cinamomo gariophillis, aliisque aromatis additto interdum mosco & ambra, calidis vero & tempore fervido, ex rosis, violis, santalis, balaustiis, myrto, ladano, camphora, &c. Parantur in hos vsus vulgo non solum variæ aquæ odoriferæ, noduli pomaque; sed etiam pastilli, & candelæ pro fumo, prope domus ad aerem corrigendum, spirituſque reficiendos, horti ameni vnde suaves spirant odores, plurimum habent momenti. Ideoque inter virentes, redolentes frutices, herbasque, fræquenter tempus transigendum: Atque iisdem, similibusque triclinia, conclaviaque subinde sternenda.

De

De Somno & Vigilia, Cap. 8.

CUM Vigiliæ functione animalis facultatis, Somnus vero quiete, ad vires collapſas diurnis laboribus inſtaurandas perficiantur: Secundum naturam, omnibus animantibus competunt: Verum ille diſtribuendis alimentis per corpus, & excremẽtis evacuandis: Hic vero concoquendis, & retinendis potius inſervit: Otiante ſiquidem, & quieſcente per Somnum, animali facultate: Natura ſuo munere validius fungitur, quippe vt HIPP. 6. EPIDEM. 4. Vigilans exterius calidior, interius frigidior eſt. Contra dormiens. Ideo 6. EPIDEM. 5. Labor articulis, & carnibus confert, viſceribus autem, cibus & ſomnus: Nam dormientium ventriculus, viſceraque omnia, calidiora ſunt. Calor enim nativus, ad interiora revocatur, alimenti gratia conficiendi, à quo vapores benigni, in cerebrum lati, viam, ne ſpiritus, ad organa ſenſuum ferantur: Præcludunt. Somnumque

conciliant qui nihil aliud eſt quam quies, aut impotentia quædam, animalis facultatis, functiones ejus impediens, ab utili corpore cerebrummadefaciente, occludenteque ut vires animales reſiciantur: Durat autem quouſque per concoctionem, vapor ille, diſſipati ſpiritus vireſque reparentur,& tum vigiliæ functiones viz .animales, alacriores ſequuntur. In ſomno&vigilia; modus, naturæ conveniens, obſervandus. Immoderatus enim, cerebrum impenſe humectat, refrigerat, mentem ſenſuſque obtnndit, nativum calorum obruit: excrementorum copiam auget, varioſq; morbos producit. Scribit item Aul. Gell. Cap. 19. Lib. 4. ex Varrone proceritatem puerorum, nimio ſomno impediri hebetioreſq; ingeniis fieri: Contra vigiliæ mmodicæ corpora exſiccāt, attennant, vires evacuant, debilitant: mentem perturbant, concoctiones impediunt, cruditates pariunt: Atque mortem tandem adferunt. ut prodidit Plinius de Mecenate, cui triennio ſuprémo, nullo horæ momento, contigit ſomnus. Quocirca ſanitatis conſervatio, quibus eſt cordi, ſedulo caveant, ne ſe vigiliis aut ſtudiorum amore, aut rei agendæ cupiditate nimia conficiant, ut id quod libenter præſtant: diutius morte præveniente, efficere nequiant. Unde Hipp.

2. Aph

2. Aphor. 3. Somnus, & vigilia, utraque ſi modum exceſſerint, malum quod nec hæc nec ille ſine maximo corporis damno perſeverare queat. In ſõno tria obſervanda ſũt quomodo dormiendũ, quãdiu tertio qua forma, & modo cubandum. Inſtituitur primum à nàtura ſomnus, ut vires animales, crebris functionibus laboribuſque delaſſatæ: reparentur & concoctiones, non ſolum eſculentorum in ventriculo, verum & ſuccorum in jecore, & venis, juventur: ſed cum labores illi, tempore diurnrno commodiſſime fiant, non autem nocturno; ut præcipit Hipp. LIB. Prognoſt. & Sent. 497. LIB. Coacarum prænotionum interdiu vigilandum, noctu vero dormiendum, noctu ſiquidem frigiditas externa, hoſtiliumque tenebrarum appulſus calorem nativum cum ſpiritibus à ſenſuum organis, ad interiora reducunt: Atque operationes animales impediunt; interdiu svero idem calor foras cum ſpiritu excurrens, excipiendæ cauſa lucis, amicæ atque familiaris, functiones ſenſuum, animæque rationalis fœlicius obit. Quod ſi contentio animi, graveſque curæ ſomnum ademerint, nec placidam membris noctu quietem dederint, quatuor horæ lucis diurnæ, nimirum à ſexta matutina, ad decimam, ut fruantur ſomno benigno

benigno impertiantur: Nam tempus pomeridianum ſomno incommodiſſimum, maximè à prandio quod coctionem non compleat, ut inde cibi fluctuent in ſtomacho, perinde ut aliis à ſomno nocturno, intempeſtive expergefactis. Deinde quod cerebrum nimia humiditate repleat: ut ſi quid aliud Cephalgia, catarro, epilepſia, aut alio capitis affectu tentatis plurimum officiat. aſſuetos interdum ſi præcedente nocte, parum aut nihil dormirint, conceditur: Licet iſta conſuetudo, non ita in pleriſque probanda ſit, præterea ut ab exercitatione, cibus ſtatim ſumendus non eſt, ſed prius ſedata corporis turbatione, ita à cœna confeſtim dormiendum non eſt: ſed interjecto unius, aut duarum horarum ſpatio: præmiſſa levi deambulatione, ut cibus ad fundum ventriculi facilius diſcèndat. Secundo temporis longitudo ſomni nocturni ſit, quo alimentorum in ſtomacho, jecore abſolvatur: quam perfectam judicamus, ex ventriculi levitate, & contractione, ructuque minimè acido: in jecore & venis, ex notis bonæ concoctionis, in urina ſi ſit ſubflava, aut ſpicea, nam alba crudum adhuc ſuccum in venis, rufa aut flava jamdudum elaboratum indicat. Cæterum quia concoctiones in omnibus pari temporis

ſpatio

ſpatio non perficiuntur cunctis eadem ſomni quantitas neceſſaria non erit. In ſanis benevalentibus dormiendi terminus vulgo definiri ſolet ſeptem horis: verum magna ex parte naturalis ſomni protractio ſeptem octo aut ad ſummum novem teſte GALEN. 6. de ſanitate tuendi CAP. 5. circumſcribitur; nam pueris plus temporis conceditur quam adoleſcentibus: & his quam viris, & ſenibus. Deinde natura humidis, quam ſiccis. Præterea hyeme ſomni debent eſſe longiſſimi, poſtea vero quia ventres tum calidiſſimi ſunt, copioſiorique alimento, & ob id ad meliorem concoctionem, ſomno longiore indigent, accedit etiam hyeme frigus circumſtans, noctiumque longitudo tenebræque; quæ calorem cum ſpiritibus intro trudunt: ob contrarias cauſas æſtate ſomni ſint breviores. Debet autem ſomnus par eſſe concoctioni ciborum, in ventre & venis: ſiquidem à breviori, tardior, debiliorque fit concoctio: ideo qui liberalius comedunt ſomnum longiorem, qui parce breviorem expetunt. Verum concoctiones utiles tantum ſomnum naturalem inducunt: non quibus cibi in ventriculo corrupti, aut crudi permanent. Quare ingerenda veſperi moderata cibi quantitas, nam qui nimia ventriculum

onerant

onerant, nec benè dormiunt nec cibos recte conficiunt, difficulter quoq; concoquunt, qui imbecilles ſtomacho ſunt: quales ſunt plerique literarum ſtudioſi: & magna pars urbanorum: qui ut præcipit Celſus CAP. 2. LIB. 1. diligenti cura reſtituere debent, quod corpori, vel ſtudii vel loci ratio detrahit: ex his igitur, qui benè concoxit mane tuto ſurgat, qui parum quieſcere debet: & ſi mane ſurgendi neceſſitas fuerit, redormire: qui non concoxit ex toto conquieſcere, ac neque labori nec exercitationi ulli ſe credere: nam ſomnus quieſque concoctioni, crudorum ſuccorum confert: ſicut digeſtioni per halitum, habitumq; corporis vigiliæ, ſomnus profundus, concoctionem labore aliquo defatigatorum promovet ut à pravis cibis damnum non ſentient. Nam ut ſcribit CAP. 1. de facul. alimentorum GAL. 2. quod à cibis pravis, plerique labore defatigati minus lædantur, in cauſa eſt, quod iis ſomni profundiores quæ res ad concoctionem multum affert momenti, quippe ſi plures ordine noctes; in ſomnes ducere coegeris, ilico in morbos incidunt: illi igitur unicum hoc ad pravos cibos conficiendos habent commodum: Deinde idem 4. de ſanitati tuenda CAP. 4. nilæ que concoquere, ea quæ concoqui poſſunt

poſſunt, & pravos ſuccos per halitũ digerere, ut ſomnus à balneo dulci, ſaviq́; , conducit quoque balneum hoc ad ſomnum conciliandum, ſi nil gravius obſtiterit, itaque dormire, à balneo cauſa & ſignum eſt ſperatæ ſalutis, contra non poſſe à balneo quietem placidam carpere, nec cauſa nec ſignum commodum eſt. Habet etiam ſomnus, vires humectandi irrorandiq́ue, exſiccata corpora, eoque utilis ſenibus, adeo ut nihil ferè aliud, aut ſenectutis duritiem emollire: aut deperditam in ipſis ſubſtantiam reparare magis poſſit. Præterea ut ad concoctionem ita ad corpulentiam ſomnus auxiliares manus præbet, macieque confectos replet: ideo glyres aliaque nonnulla animalia pingueſcere ſomno videmus. Tandem in ſomno ſalubri decubitus forma, obſervanda. dormiat ergo homo ſanus in lecto molli linteis ſtraguliſque coopertus, ſuper alterum latus, toto corpore, brachiis, & cruribus modice contractis, magis tamen hyeme ad nativũ calorem ventris augendum, minus vere æſtate: capite cum humeris elevato, in mollibus pulvinaribus, pulvilliſque, an ſuper dextrum, an ſiniſtrum latus magis ſit decumbendum nonnulli parum referre arbitrantur: niſi aſſueti fuerint, aut partis alicujus affectus impedierit, quia

an

an jecor venticulo ſubjacens: vel incumbens validius calefaciat non ſatis conſtat. Putant nonnulli ſomnum inchoandum incubitu, ſiniſtri latereris, & dextri continuandum: alii initio ſupra latus dextrum decumbendum: ut cibi facilius ad fundum ventriculi diſcendant, jecorque petant. Deinde poſt primum ſomnū in ſiniſtrum revolvendum, ut à jecore, ventriculo incumbente concoctio ejus adjuvetur, perficiaturque: vel ut dextri lateris onus levetur. Sunt qui reclimantibus, dormientibuſque in ſiniſtro latere, terrifica ſomnia accidere credunt ob compreſſionem cordis. Plinio referente LIB. XXVIII. CAP. 4. Ariſt. & Fabian. plurimum ſomniari, circa vernum, & autumnum tradunt: magiſque ſupino cubitu. At prono nihil, & Theophraſtus celerius concoqui cibos dextri lateris incubitu, difficilius à ſupinis. Quidam circa finem concoctionis ſuadent, aliquamdiu ſupra ventrem cubandum: ut crudi humores in ventriculo facilius ſuperentur: ſed ejuſmodi decubitus debiles oculos offendit, ſupinus damnatur præcipuè initio ſomni, quod Apoplexiam, paralyſin, & ſimiles morbos efficiat, humoreſque qui per nares & palatum expurgari debent, ad initia nervorum, poſterioraque corporis deducat: oculis tamen, & mane

mane

mane veneri conducere dicitur, facilius ſupra dextrum, quam ſiniſtrum latus nos dormire ait Philoſophus Sect. 6. Prob. 5. & 7. Quod vigilantes recumbant, ſupra levum, ut ex lege contrarietatis, dormientes ſuper partem dextram ſomnum inire teneantur, ſitus autem ſuper ſiniſtrum intelligendus, de accubitu prandentium, & cœnantium qui cum initio cibi proni quidem in faciem recumberent menſam intuentes ut ex Plutar. Lib. Sympo. quæſt. 6. conſtat pulvinis ad pectus oppoſitis, mox tamen in ſiniſtrum latus convertebantur: ut dextra motui aptiorem, magis expeditam haberent, ſi quis uſus interveniſſet. Cubicula ſomno deſtinata ſint ampla, æſtate potiſſimum, & ad Orientem converſa; non ita multis diſtincta feneſtris; quæ ſi aer purus. incorruptus, nullis inquinamentis affectus; de die aliquamdiu aperiantur, veſperi noctuque claudantur: minus calida tempeſtate; veſperi noctuque focus accendatur, ut aer cubiculi flamma purgetur: interdum quoque ut ſpiritus, cerebrumque recreentur, ſuffitus, & ſuffumigia excitentur, impuritates omnes arceantur, cloacæ longe à cubiculis removeantur: ne fœtore cerebrum offendatur, Gal. Com. 4. in 6. Epidem. 16. præſtare dicit, calidos temperatura,

in

in frigido loco dormire, meliuſque eſſe ut ſtragulis calefacientibus, horum calor ad cutem repllatur. Frigidus vero aer inſpiretur, ut utraque ratione, calidum corpus ad temperaturæ mediocritatē perducatur, quod febricitantibus confert. Deinde lectus ſit ad Ortum præcipuè converſus, undequaque cortina ſeptus, culcitræ, pulvinaria, pulvillique molles & quæ plumis replentur, cæteris molliores ſuut, magiſque calefaciunt: ideo tempore naturiſque frigidis maximè conveniunt. Aliis magis culcitræ, goſſipio, aut ſerico crudo vel cocto refertæ, quæ plumaceis ſalubriores ſunt. Avicen. calidis temporibus & naturis ſuper corio inflato dormire ſalubrius eſſe putat. Durum cubile authore Celſo aſtringit, corporumque incrementa prohibet, denſam cutem carnemque facit, lectus æſtate latior ſit quam hyeme illiuſque operimenta, ut ſtragula, lodices, lintea; hyeme plura, æſtate pauciora minuſque calefacientia, ſemper levia mundaque, ſed non recenter lota nec lotionem redolentia: in ægris alia ratio ſomni, & vigiliarum quam in ſanis, variatur enim ſomni tempus, ejuſque duratio & modus cubandi, reſpectu morbi: ſiquidem per circuitus recurrente tempore intermiſſionis, ſed diutius perſeverante acceſſione, in declinatione

natiõe vel fine ſtatus, ſõnus maximè aptus, deinde ægris, calido ſiccoque affectu laborantibus, ſomnus paulo longior confert. Niſi adſit viſceris alicujus inflammatio: quæ initio per ſomnum longiorem vires acquirit, in frigidis, humidis affectibus, præcipuè cerebri ſit ſolito brevior: & aliud quoque ſedulo perpendendum in ægris meliuſve ne an deterius ſe à ſomno habent. quia in quo morbo ſomnus laborem adfert malum: ſi vero profuerit ſalutare 2. LIB. Aphor. 1. Si vigiliæ aut ſomnus naturæ modum exceſſerit, arte ſubveniendum: neuter enim ſine magna noxa à mediocritate declinat, cum vigiliæ ex calida ſicca intemperie capitis, plerumque cum materia acri, bellioſa, ſenſus irritante, ortum trahant: ſomnus verò à frigida, humida cerebri diſcraſia ut plurimum cum humore aut vapore frigido, humido ſenſus obtundente. Quare ſi vigiliæ cœperint eſſe moleſtæ, initio ſtatim cauſæ evidentes ſcilicet lucubrationes nocturnæ, à cæna curæ, tam de publicis quam privatis negotiis, triſtitia, & ſimilia, quæ mentem quieſcere non ſinunt, tollenda corporis enim labor, animique tranquillitas & ſecuritas, ſõnos ſuaviores prolixioreſq; reddere ſolent. Locus ſomni, ſit frigidus aut temperatus

non calidus. Abſtinendum veſperi, à cibo copioſo multi nutrimenti, aut difficilis concoctionis, deinde remotis procatarticis cauſis ſi ſõnus non obrepat concilietur tenebris, quiete, ſilentio, murmure aquæ leniter fluentis ſuavibus cantilenis, & fabulis, muſico modulamine levibus crurum frictionibus, aeris refrigiratione, alimentis & medicamentis refrigerantibus, humectantibus quæ ſenſibus levem ſtuporem inducunt, calorem ad interiora revocant: & lotionibus brachiorum, crurum, cum decocto capituum papaveris lacturæ, mandragoræ, ſumitatum anethi, Flor. nympheæ &c. aut vapore eorundem ſuſcepto. Epithemata capiti etiam proſunt ex oleo roſarum violarum, lacte mulieris quæ puellam peperit, conquaſſatis cum albimine ovi, nec-non liniment. parata pro temporibus & naribus hora ſomni, ex oleo nympheæ unguento populeonis recenti, additis interdum granis aliquot opii diſſoluti in vino cum modico croci. Lactucam à cœna ſumptam inducendo ſomno miruum in modum prodeſſe apud omnes in confeſſo eſt, ſunt qui vinum moderate ſumptum, ſomnum ſuaviorem, facere credunt, præcipuè in ſenibus: in natura vero calidis, frigidæ aquæ potus aut cerviſiæ tenuioris. Probatur tempore

ſomni

ſomni, hauſtus emulſionis amygdalarum dul. Cum ſemine papaveris &c. Si neceſſitas exigat, ad validiora ſomnifera accedendū. Quod ſi ſomnus extra ſanitatis limites feratur, contraria ratione procedendum erit. Nimirum ſenſus omnes excitandi, irritandi, caput calefaciendum, humores, & vapores à cerebro revellandi hæc præſtant vehemens corporis, in aere calido, lucidoque agitatiō, pilorum evulſio, digitorum tractio, ſtrepitus & clamores continui, frictiones duræ & dolorificæ, ſuppoſitoria, clyſteres cucurbitulæ lumbis affixæ, errhina ſternutatoria, ingrati acreſq; odores, naribus adhibi, ſpongia expreſſa, in aceto infuſionis rutæ, pulegii caſtorei &c. in cibis aromata calificientia mordicantia & ſimilia.

De Excretis & Retentis; Sive de inanitione & repletione, Cap. 9.



Excreta & Retenta, ad communem vitam omnium animalium pertinent. Ut enim nutritionis gratia, cuncta alimento ejusque concoctione, indigent: Ita ex qualibet quod ipsi naturæ vtile, & familiare est, retineri: Quod superfluum vel toto genere præter naturam, seu multitudine tantum alienum, expelli debet. Si prout fert naturæ conditio, quæ commoda & ad alendum idonea supprimantur: Quæ supervacanea debita via, justa quantitate, tempore & modo excernantur, sanitas conservatur. At si quod reservandum est rejiciatur: & quod expellendum retineatur, sanitas corporis labefactatur. In vniversum triplex est alimentum atque triplex illius concoctio, in humano corpore.

Nam

Nam ſecundum prius & poſterius dicitur: & primum aliud vere alimentum: Nimirũ id quod ex ſanguine, ſingulæ partes attrahunt, ſibique agglutinant, & aſſimilant. Deinde aliud quaſi alimentum, ipſe ſanguis: Poſtremo futurum alimentum quod nutriturum eſt, chilus ex eſculentis poculentiſq; genitus. Cibus vero & potus à Medicis proprie alimenta non dicuntur: Sed eorum materia, nam cum corpore noſtro diſſimiles ſint: Ut alimenti rationem ſubeant concoctione aliqua opus habent, qua vtilia ab inutilibus ſeparentur, & pars una tandem, ſi at vere alimentum: Cæteræ excrementum. Cuique alimento opponitur ſua inanitio, veluti alimento in prima ſignificatione ipſique nutritioni ſubſtantiæ fluor. In ſecunda, Hemorrhagra omniſque ſanguinis evacuatio. In tertia vomitus & lienteria. Concoctio alimenti vt alimentum triplex eſt, & cuilibet propria ſunt exerementa vt ex vnaquaque ſit quod retinere & expellere conveniat. Nam ex prima retinetur vtiliſſima chili portio, exigentibus quod benignum eſt venis miſeraicis, ſecreto excrementi genere, craſſo terreſtrique, quod ſtercus & ſucos vocatur: paulatim per ominia inteſtina detruditur, ad annum cujus exitum coercet, muſculus orbicularis

orbicularis ſphincter dictus: Ne immature effluat poſtea vero cum plurimum congeſtum, jam grave animali fuerit, reſerato muſculo foras excluditur. Celeritatem emiſſionis adjuvantibus abdominis muſculis, & ſepto tranſverſo. Deinde in ſecunda theſaurus vitæ, ſanguis in corpore reſidet, excrementa vero multa redundant qnorum vnum tenue, igneum, bilis flava, quam veſicula fellis jecori ſubjecta pertrahit: Ut hinc ad inteſtina derivata, eorum expulſioni opem ferat, pituitamque viſcidam, & tenacem abſtergat. Alterum craſſum, & fœculentum eſt vini feci ſimile, quod lien ad ſe rapit vt à ſanguine ſeparet. Tertium tenue aquoſum ſero lactis comparatum, diſtributionis commodioris gratia, ſanguini in venis aliquamdiu permixtum manet: Deinde à renibus, per venas emulgentes ſeparatur, & per vreteres. in veſicam urinariam ſenſim propellitur, orificium exacte claudit muſculus orbicularis: Ne nobis invitis elabatur. Poſtquam vero hujus quoque collecta copia, animal vrget: Muſculo ilico ſe laxante, in auxilium vocatis abdominis muſculis veſica omne excrementum effundit. In tertia dum ſanguis convertitur in verum alimentum partium, duplicia exſurgunt excrementa, vnum humidum,

humidum, tenue, alterum craſſum: Quibus nulla certa deſtinata ſunt organa, ſed partim per corpora mollia impetu ſpirituum, partim per carnis, cultiſq; meatus evacuantur. Nam liquidi illius excrementi pars, in ſpeciem halitus, à calore nativo, per cutem inſenſibiliter tranſpirat, reliquum majori impetu, & vi caloris impulſum, per meatus aquæ inſtar emanat, & ſudorem vocitant. Quocunque modo tenue excrementum concedat craſſi nonnihill, perpetuo ſecum ducit quod cum cuti adhæret GRÆCI ῥυπος LATINI fordes appellant, ex hoc quoque ſpiſſo excremento, incutis meatibus contento, foriſque protruſo, pili fiunt: Atque hæc communia ſunt in ſingulis concoctionibus excrementa. Particulatim ex tertia in partibus nonnulla propria quædam gignuntur: Vel vtilia, vt in teſtibus, vaſiſque ſpermàticis gratia procreationis, ſemen quod coitu excernitur: in mammis cauſa nutritionis infantis, lac, vel invtilia redundantia in pectore & pulmonibus, vt ſputa, deinde quæ ex cerebro per nares palatum, & aures expelluntur &c. ſingula horum, ſi ſupra naturæ modum, retineantur in corpore, & conſueta eorum evacuatio ſupprimatur. Sanitatem pervertunt, neque hæc verumetiam quæ ſua natura cor-

porĩ

corpori familiaria sunt: Ut sanguis cæteraq; alimenta, nimia sua copia vel inopia; exuberantem sanguinem natura evacuat per nares venas Hemorrhoidales, atque vterum, menstrorum fluxu, quibus consuetis evacuationibus suppressis corpus superfluo sanguine repletur. Quare contenta omnia à modo naturæ recedunt, vel sola quantitate vt sanguis cæteraque alimenta, vel qualitate vt vitiosi, aut corrupti humores, vel quantitate & qualitate simul. Tres sunt regiones corporis, & in qualibet continetur vel quòd toto genere & quantitate, vel multitudine & copia tantum alienum est. Prima gulam, ventriculum, intestina, venas meseraicas, lienem, vesiculã fellis & sinum hepatis comprehendit. Secunda gibbam jecoris, venam cavam, cor, arteriam magnam. Tertia minores venas quæ solidis partibus inseruntur, ambitum corporis item caput, pectus, pulmiones, renes, vesicam, eorundemq; meatus vt palatum, nares, asperam arteriam, vasa diuretica, præterea testes vasa spermatica, vterum, articulos musculos, peritoneum, &c. Redundat in singulis regionibus: vel quod sola quantitate vel qualitate naturam offendit quantitate autem sola veluti in prima regione cibi abundantia quæ Græcis πλη-

σμονὴ

πλησμονη LATINIS satietas nuncupatur: Cui 2. Aphor. Opponitur fames cibique defectus. In secunda, ac toto venoso genere exuberantia, vel sanguinis solius, vel omnium quatuor humorum æqualiter se habentium, quæ Græcis πλεθορα LATINIS plenitudo vocatur. Estque duplex una ad vasa in qua tanta sanguinis affluentia vt plurimum venæ arteriæque distentæ, raptionem minitentur. Altera ad vires vt quamvis magna non sit humornm copia, facultas tamē inde aggravata, noxam in actionibus suis subinde patiatur. Redundantia qualitate nocentium: Cum alius humor à sanguine quantitate modum superet, cacochimia proprie dicitur. Hæc vel petuitosa, bilosa, aut melancholica, sub his continetur quoque nimia abundantia pituitæ in ventriculo, choleræ in vesicula fellis, melancholiæ in liene. In venis sœpiusculè humor à sanguine longè diversus modum naturæ excedens, augetur, Interdum duo nonnunquam tres, aut simpliciter absque ulla substantiæ corruptela. pravaque adscititia qualitate, aut cum ejusdem inquinatione. Quando putredinem contrahit vel sanguinis pars subtilior in bilem flavam, & crassior, in melancholiam transit, vel bilis pallida in eruginosam, aut nigram

nigram abit. Fit etiam cacochimia, ſi bilis ex veſicula fellis, & melancholia ex liene in venas, ſecundamque regionem corporis effundantur aut excrementa tertiæ regionis, ad ſecundam ablegentur. In tertia regione verò partium excrementa naſcuntur & inquinantur. Quippe humiditates interdum nobis quantitatem inimicam contrahunt & vel in venas recurrunt, & quartam cacochimiæ ſpeciem conſtituunt: Vel in habitum corporis excuſſæ, ſubſiſtunt. Deinde ob tranſpirationem prohibitam, ex pororum anguſtia quæ ſub cute & carne latent, evacuari nequeunt, quibus denegata extrorſum via, aut in obvia quacunque parte accumulatæ figuntur: Unde tumores & obſtructiones oriuntur, aut per molem corporis diſperguntur, vt laſſitudo ſpontea, cachexia, & cacotrophia gignantur; aut demum vi facultatis expultricis à membro principe ad ignobile transferuntur. Hinc fluxiones concitantur humorum, vel intra corpus manentium, in apoplexia, arthritide, pleuritide, vel extra egredientium, in gonorrhæa, profluvio muliebri, vel partim intra vel partim extra ſe commoventium, in corriza, rancedine, ad pectus diſtillatione; cauſa retentionis excrementorum aut ſuppreſſionis conſuetæ alicu-

jus

cujus evacuationis, & fruſtratio facultatis expultricis partium competentium quæ vt munere ſuo rite recteque fungatur, primum excrementum ſive quid ſuperfluum requiritur quod non ſolum ſua copia, aut qualitate facultatem partis ad expellendum ſtimulet, ſed etiam impulſui expultricis facile cedat. Deinde vt pars ſi ſenſu prædita ſit ſtimulum illum percipiat, & excitata ad expellendum, concurrentibus muſculis, huic vſui dicatis, ſua vi prompte inſurgat. Quare fruſtratur facultas expultrix vel ab externo errore, vel ipſa læſa, in parte à morbo. Error vitio objecti, nimirum excrementi aut materiæ ex qua naſcitur, accidit; vel quod expultricem minimè irritat, vel quia ex defectu acrimoniæ, aut juſtæ quantitatis impulſui facultatis reſiſtit, ob nimiam copiam vires præmentem; vel alienam qualitatem, videlicet ſiccitatem, duritiem, craſſitiem, viſciditatem, adſtringentemque vim &c. Quam vt plurimum contrahunt à materia ex qua fiunt; aliquando vitio facultatis concoctricis, aut longa mora in corpore, intemperie partium; aut corruptione aliqua: Læditur facultas expultrix per ſe, in ſua ſubſtantia: ab intemperie vel ſenſum partis obtundente, vel fabras tranſverſas laxante, & expultricem debilitante,

debilitante, vt ſtimulata ad expellendum commoveri nequeat: aut in ipſo conatu deficiat. Deinde à morbo inſtrumentali, præcipuè anguſtia meatuum, vias claudente, ob immodicam vim attractricis, aut expultricis alterius partis. Atque hæ in genere ſunt cõmunes causæ retentionis excrementorum, præter naturã, & ſuppreſſionis conſuetarum evacuationum in ſpecie alvi, tardaque dejectio, evenit primum ab errore externo excrementi quod naturaliter expelli debet: Vel quia expultricem non ſtimulat: Vel impulſui ejus locum non dat. Deinde læſa facultate ventriculi, & inteſtinorum, ita vt expultrix, aut ſtimulum non ſentiens, ad expellendum inſurgere non valeat aut ope muſculorum abdominis careat excrementi autem vitia, plerumque oriuntur ab errore victus, ratione non ſolum quantitatis aſſumptorum, ſi pauciora, vel plura facultatem ſubvertentia ingerantur, & qualitatis, ſi duræ, ſiccæ, acerbæ adſtringentis aut tenacis fuerint, ſed etiam ordinis, ſi conſtipantia, & condenſantia, humidis, liquidiſque præmittantur, atque modi vtendi ſi cum ſic bis edendum ſemel cibus ſumatur. Atomenta pro ſua natura alvi

alvi excrementorum quantitatem, & qualitatem variant. Nam pauca, minimèq; acria, expultricem parum aut nihil commovent, ſicca, dura, tenacia, craſſa, difficulter ſecedunt. Naſcitur autem paucitas ab aſſumptorum mopia: Defectus acrimoniæ, ab alimentorum qualitate, aut quia bilis flava à ſua veſicula ad inteſtina, quibus pro ſtimulo eſt data, non diſcendit vt poſt dicetur. Contrahitur ſiccitas craſſitudo duritiesVel à cibo, potuque vel ob longam moram excrementorum in ventre, vel parte liquidiore alio tranſlata, ob validam vim attractricem jecoris, & venarum, à caliditate; aut ob vehementes corporis motiones magnaſque evacuationes, per alias vias, vt per vrinas, ſudores, habitumque corporis. Deinde expultrix inteſtinorum ſtimulum non ſentit: Vel quia ſenſus eorum torpidus redditur, à nativitate aut poſt: ſpiritu animali, aut non tranſmiſſo per nervos ſexti paris, ad ventrem, vt in apoplexia, aut alio converſo, præcipuè ad caput; quemadmodum vſu venit in profundis meditationibus, aſſiduiſq; cogitationibus, aut quia inteſtina non recipiunt, ob intemperiem frigidam, humidam, contractam plerumque, ab alimentis ſimilibus aut medicamentis narcoticis. Accidi

etiam

etiam vt ſtimulus non ita percipiatur, quia vehementior præceſſit. Nimirum medicamentum purgans, clyſter aeris. Deinde propter longam inteſtinorum, cum facibus familiaritatem, diuturnam retentionem, malamque non evacuandi conſuetudinem labefactatur verò facultas expultrix ventris: vel in ſua ſubſtantia vt ad expellendum concitari perfecte non valeat, ab intemperie ſimplici vel compoſita, ſine vel cum materia, præcipuè frigida, ſicca vel impedita morbo inſtrumentali, potiſſimum anguſtia aliqua viarum, exitum inhibente, vt obſtructione, à ſiccis, duriſque fæcibns, craſſis, lentis, humoribus, flatibus &c. Compreſſione viarum, aut conſtipatione meatus, ab inflammatione, aliove tumore &c. Vel majori retentricis robore. Quod accidit ex vſu ſiccantiũ, & adſtringentium, ante cibos ſumptorum. Additur his affectus dolorificus: Aut debilitas aliqua muſculorum abdominis, & pectoris, qui expulſioni naturali fæcum opitulãtur, Fit vt diximus alvi ſuppreſſio, tardaq; dejectio: Quia flava bilis, quæ inteſtina eluit, à ſua veſicula, ad duodenum non tranſmittitur: ob attractricis, aut expultricis veſiculæ debilitatẽ; aut venarum quibus à jecore ad eam derivatur: Vel in duodenum excernitur anguſtiam:

guſtiam: nimirum obſtructionem à craſſis lentis humoribus infaretis; nimiam compreſſionem partium, à jecoris inflammatione, ſchirro, & diſtentione, ab immodica veſiculæ repletione; aut ſubſtantiæ tumore: aut ob conniventiam à ſiccitate. Similis ratio eſt ſuppreſſionis cæterarum conſuetarum evacuationum. Nam ſive melancholicum, ſive ſeroſum ſive aliud quodvis excrementi genus, cauſa ſtatuenda erit, vel in organi, quod attrahere, & expurgare debet, intemperie, & imbecillitate: Aut meatuum anguſtia, vel excrementi vitio. Veluti retentionis melancholiæ, in debilitate, ex lienis intemperie non attrahentis à jecore, nec à ſe pellentis; vel in obſtructione, aliaque anguſtia viarum, Vel in excrementi nimia copia, craſſitie lentore &c. Eodem modo, urinæ non exeuntis cauſa erit. Vel intemperies renum attratricem, & expultricem languidas reddens, vel anguſtia aliqua ureterum, aut orificii veſicæ, nimirnm obſtructio à calculo, grumo, humore craſſo impacto, conſtipatio à tumore, caruncula &c. Tandem excrementum tertiæ concoctionis cohibetur. Vel quia calor nativus, ita infirmus, vt illud reſolvere, & diſcutere nequeat, ob intermiſſionē conſuetæ exercitationis, otium,

aliaque

aliaque caiorem mirum in modum minuentia: Vel quia excrementum nimis copiosum, lentum, crassumque est. Vel ob angustiam, meatuum cutis, & carnis, per quos evacuantur contractam, ab aeris frigiditate, lavatione in aqua gelida aluminosa &c. Quæ est ratio in evacuationibus communibus, eadem in particularibus. Velut capitis, per nares, palatum, aures, oculos, & comissuras cranii, pectoris, & pulmonis, per os, tussi, feminis, per vasa spermatica. Cognitis retentionis excrementorum causis non difficile erit remedia invenire, quæ ab ipsius rei natura indicantur. Sive enim causæ retentorum sint, in ipso subjecto, nimirum intemperies, aut mala compositio, sive in objecto contentorum vitium. Contraria ipsis causis remedia semper opponenda erunt. Veluti subjecti intemperies, si sine materia, vt corrigatur, contrariam tantum qualitatem requirit. Nimirum calida, victum & medicamenta refrigerantia frigida, calefaciētia ficca, humectantia, humida, exsiccantia: Si cum materia, primo illa evacuanda, deinde intemperies contrariis alteranda. Si vitium sit in meatibus, & viis, aperiendæ & reserandæ scilicet obstructiones ex humoribus crassis, cibis, & medicamentis de obstruentibus, attenuantibus

tenuantibus detergentibus; conniventia ſi-culorũ ab auſteris; pinguibus, dulcibuſque à caliditate, & ſiccitate, refrigerantibus, & humectantibus, à nimia repletione, evacuantibus. Compreſſio vero meatus, à Phlegmone, ſchirro, aliove tumore, propriam curationem exigit, quæ tuendæ ſanitatis limites excedit, & ad Therapeuticam pertinet. pari ratione, ſi vitium ſit in excrementi quantitate, aut qualitate, alimenta, & medicamenta contraria poſtulat. Veluti immodica repletio, & copia contentorum, evacuantia, eorundem, per vias, & loca conferentia, vt inferius patefit. Nimia inanitio, defectuſque, reſtaurantia, excrementi ſiccitas, duritieſque, humectantia & emollientia, craſſities, attenuantia, lentor incidentia abſtergentia. Expelluntur vt dictum eſt excrementa ventriculi, vomitu inteſtinorum, alvi dejectione, renum & veſicæ, vrinis venarum fluxu ſanguinis, narum, vteri, vaſorum hemorrhoidalium, habitus corporis, ſudore, & inſenſibili tranſpiratione pectoris tuſſi cerebri, ſtermutatione ac per os & nares defluxione. Additur his inedia quæ ex accidente evacuat. Ut ſomnus jejuno ſtomacho & poſt exercitia, quas evacuationes natura molitur eas ſupplet, aut diminutas complet ars, medicamentis

gantib⁹ Phlebotomia, ſcarrificationib⁹, diureticis ſudorificis mẽſtrua moventibus, bechicis, errhinis exercitiis, balneis fomentis, vnguentis &c. Quæ in prima regione corporis redundant, promptius evacuantur quam quæ in ſecunda, & quæ in ventriculo, & inteſtinis, facilius quam quæ in venis primis, liene, ſimo jecoris quod propinquiora ſint locis evacuationi deſtinatis. Mei inſtituti nõ eſt, omniũ illorum affectuum, & cauſarum medelas proponere, ſed tantum recentium, leviumque, quia laborioſam curam minimè exigunt, nam graviorum inveterumque tractatio; alterius eſt conſiderationis. In ſpecie alvi ſuppreſſio tardaque dejectio, ſi ex ciborum paucitate, & ſiccitate nata ſit, tum plura, tum humidiora exhibeas; ſi ex ſiccitate ſolum plura, quidem non offeras, ſed humidiora, potiſſimum initio menſæ: Qualia ſunt ptiſana cremorque hordei juſcula cum prunis dulcibus, pepones melones, mora, ceraſa, & ſimilia; paulo ante prandium. Cavendum tamen ne hujnſmodi fructus horarii in neutriculo diutius moram trahant, antiqui magnis præconiis Malvam extulere, cujus & hoc peculiare munus eſt (ſi vocabuli rationem quæramus) ut alvum molleat. quod ſi hæc non ſufficeret ad Mercurialis auxilium confugiendum.

Si à

Si à comeſtorum auſteritate facta ſit: pinguia, dulcia cibaria juraque ex malva violaria, beta cocta, adjecto copioſo oleo aut butyro modicoque ſatis: Pruna recentia aut ſicca macerata aut decocta in aqua mulſa, cerviſia, muſto, ptiſana cum ſaccaro in vſum trahas. Quod ſi in ordine peccatum ſit vt errorem corrigas neceſſe ſit, & ſiccis, adſtringentibuſque humida præmittas. & ſi cum bis, aut ſemel tantum edendum, non modo bis, ſed etiam ſæpius nutrias, ſi à nimia ſatietate, ciborumque copia, vires opprimente, aut cruditate in ventriculo, alvus ſiſtatur. Nil melius, quam ſtatim initio vomitum provocare, aut inediam quietemq; injungere, tandemque ſi alvus minimè fluat levi Pharmaco aut clyſtere ſubducere. Verum enimvero vomitionum vſu Plinius LIB. XI. CAP. 53. Ait frigidiora effici corpora oculoſque & dentes inſigniter lædi. Damnat etiam Plutarchus LIB. de valitudine tuenda ſicuti purgationes alvi, permedicamenta: Non aliter quam Celſus CAP. 3. LIB. I. Qui vomitum luxuriæ cauſa non fieri oportere confitetur. Interdum valitudinis cauſa recte fieri experimentis credit. Par ferè ratio eſt in curanda ſuppreſſione orta ab aliena quantitate aut qualitate excrementorum alvi,

quocirca vt ſiccitas duritieſque fœcum tollatur, humectantia, emollientia, nimirum juſculà pinguia, pruna dulcia, aliaqne vt ſupra vſurpentur. Verum ſi diutius retentæ ſint; Utile eſt initio balanum ſubdere: Aut potius clyſterem lenientem infundere, ex juſculi pinguis vel decocti malvæ, violariæ, altheæ, ſem-lim, &c. Lib. 1. ſ. admixtis, caſſiæ extractæ pro clyſteribus, butyri recentis, & olei, an ℥iſ. aut propinare elect. Linit. ℥j. vel manne ℥ij. in decocti florum & fructuum ℥iiij. Suppreſſio alvi inducta, à craſſitie, & lentore excrementorum, humorumque: Alimenta, & medicamenta abluentia poſtulat. Si tenaciter adhæſerint, incidentia, attenuantia, & detergentia. Abluentia autem proprie dicuntur, quæ acri: aut nitroſa quadam qualitate, ſuperficiem inteſtinorum, à ſuperfluis liberant. Hæc vt plurimum liquida ſunt, vt ſuccus aut jus braſicæ, betæ, mercurialis, aqua hordei, hydromel ſerum lactis, cum melle, aut modico ſalis. Ius teſtaciorum, quorum ſubſtantia, vt braſicæ alvum ſiſtit. Ccquitur etiam in hos vſus; ac quoque ad detergendos craſſos humores, gallus vetus, curſu defatigatus, flagriſq; cæſus, infarctus rad. polypodii ſem. carthami aniſi fœmiculi fol. hyſopi tartaro & ſimilibus

milibus. Interdum cum Fol. ſenæ turbith, aut aliis quæ non ſolum abluendo & detergendo evacuant: Sed etiam elective, determinatos humores purgant. Huc referuntur omnia ſalita. Ut cappares, olivæ ante cibos. Detegenda vero abluentibus, acriora & amariora ſunt, ideo magis penetrant, & tenuiores venas ſubeunt, ac partes abradendo, vellicandoque ſordes tenacius adhærentes, altius meatibus impactas, educunt. Cujus generis ſunt, ex dulcibus acrimonia quadam præditis, mel, ſaccharum, manna, aqua mulſa, mel roſatum, & mercuriale, polypodium. Deinde ex acribus, pulegium, thymus, origanum. Centaurium minus, gentiana, ariſtolochia,, terebinthina, aloe, aliaque eccoprotica fæces educentia. Quorum nonnulla certos & determinatos humores evacuant vt Fol. ſenæ carthamus, rhabarbarum, & ſimilia. Datur autem mel roſarum aut manna ab ℈j. ad ℈iij. vel ℈iiij. terebinthina triũ, aut quatuor drachmarum, pondere, ad ſex vſque in forma boli, cum ſaccharo, aut diſſoluta cum vitello ovi, addito vino, aliove liquore. Hæc non ſolum alvum ſolvit, ſed etiam lienem, jecur, pulmones, renes, detergit, cunctaſque viſcerum obſtructiones aperit. At debili ventriculo nocet, ex aloe,

ob

ob amaritudinem rarius concinnantur electuaria, ſæpius pilulæ. Interdum ex eo ſolo, cum ſucco Roſ. rub. aut braſſicæ. Sæpius cum aromatibus, aut aliis purgantibus, inter vſitatiſſimas compoſitiones præ cæteris in alvi ſuppreſſione, commendatur à GAL. 2. De compoſ. med. ſecundum loca, hiera picra: magnæ efficaciæ eſt illius extractum, quod coctione, in aqua paratur roſata, ita vt ſpuma abjecta, quod ſupernatat, poſtea continuo, in aliud vas cochleari, reponatur, & ad conſiſtentiam, tandem reducatur, ex qua maſſa formari poteſt, conficiendis pilulis apta. Cujus vires augere licet trochiſcis alhandal. Diagridio, vel pulvere ſcammonii præcipitati. Datur in hoc caſu à ʒi ad ℈iiii ventriculum, & inteſtina roborat, eorumq; expulſionem, ſenſumque vegetiorem facit, craſſos, lentoſque humores adhærentes abſtergit, blandeque ſubducit. Verum frequens illius vſus vitandus eſt, præcipuè ſenibus, ac omnibus qui partium ſiccitate laborant, ejuſque loco ſumendi cibi lubricantes, emollientes, aut abluentes ſtimulantes aut in robuſtis medicamenta alia peculiares humores evacuantia. Ut Pul. ſene præpar. montag. ad ʒiſ. in ſure pulli aut prunorum diluto folior. ſenæ, rhabarbari, agarici, & ſimilia quæ

non

non modo ventrem, & inteſtina mundant, ſed etiam à venis,, ſupervacanea ducunt, vt alibi dicitur. Verum vni medicamento aſſuefcere, non convenit, ne progreſſu temporis natura, ejus vim contemnat. Sed variis, quare ad craſſos lentoſque illos humores eximendos; infunduntur per inferiora clyſteres, & abluentes, ex decocti hordei, vel veteris galli, vel betæ, braſſicæ, mercurialis, furfuris macri ℥xv, admixtis, mellis roſati, aut mercurialis ſacchari rub. ℥ij. &c. & detergentes ex juris betæ, mercurialis, centauri minoris, calaminthæ, ſenæ, carthami, aniſi, polypodii, &c. Lib. 1. in qua diſſolve, elect. hieræ picræ ℥j. aut diapheni ℥ſ. benedic. lax. ℥iij. mellis mercurialis ℥ij. terebinthinæ ℥ſ. Additur etiam nonnihil ſalis: Nam quibus alvus ſiſtitur, ex defectu ſtimuli: Aut quia inteſtina illum non ſentiunt, ſalſa, acriaque, ad operationem accelerandam atque clyſmata ex iiſdem confecta, vſui futura ſunt. Ut ſopiti ſenſus, officio incumbant. Cæterum nullum medicamentum acre, frequenter exhiberi debet: Nam licet ex eo, abunde alvus exoneretur, quanto tamen magis evacuatur, tanto ſequentibus diebus, magis aſtringitur. Quare peſſimum eſt naturam aſſuefacere, vt non niſi per a-

cres

cres clysteres, suppositoria, aut pitulas aliaque purgantia, alvus deponatur. Satius multo est cibariis humidioribus insistere, nimirum jusculis, aliisque quæ familiaria nec putredini obnoxia sunt, & si fæces sponte non exeant, per lenientes clysteres, cum multo oleo educere: rarissimeque acres, in vsum trahere: & non nisi necessitate vrgente, emollire. Nam in sanis, qui parcius comedunt. Si prædictis alvus solvatur, licet non quotidie, saltem alternis diebus nil medicamentosi propinare debemus. Sin tertio die non dejiciat operæpretium erit aliquod ex illis ecoproticis mediocriter purgantibus exhibere quales sunt passulæ laxativæ quæ hunc in modum concinnantur, ℞. Hordei Pi. rad. cichorei ℈ij. Liquiritiæ ℈j. semi coriandri meloncum, An. ʒiij. anisi ʒiiij. Herb. boraginis capil. veneris agrimo. an. M. 1. Tartari vini albi ℈ß. coquantur in ſ. q. cervisiæ tenuioris vel aquæ. Colaturæ calidæ in fundè fol. sennæ ℈iij. Polipodii ℈j. Cinamomi nucis mu catæ, an. ʒj. Rhabarbari ʒiij, agarici tarbith, an. ʒij. Zinzib. ſq uinanti an. ʒſ. Maneant loco calido ſex horarum spatio leniterque bulliant & forti expeſſioni addantur passularum cornithiacarum in vino albo

albo lotarum Lib. 1. ad justam consistentiã cum saccharo coqnantur & pulvere tarari aspergantur ad vsumq; serventur. Si alvi suppressio sit contracta, ab intemperie facnltatẽ ventris infirmante, contrariis submovenda. Nimirũ frigida, calefacientibus, sicca humectantibus, humida exsiccantibus, angnstia viarum aperientibus, &c. Quibus autem fieri debent mediis in Therapeuticis dicitur. Similis ratio est cohibitionis cæterarum evacuationum, sive retentionis, aliorum humorum: Scilicet bilis flavæ, melancholiæ, vrinarum, &c. Nam excrementa, via patente si destituantur, à partis intemperie: Contraria qualitate, è medio tollatur: Ex obstructione, aut crassitie humorum, cibis aut medicamentis attenuantibus, detergentibus à copia purgantibus juxta naturam humoris peccantis. Nimirum pro bile flava evacuanda rhabarbaro, & succo rosarum. Pro melancholia epithymo, & fol. senæ. Pro pituita agarico, aut turbith, Aut ex his compositis, &c. Nam quæ in venis meseraicis, vesicula fellis, liene, & sima jecoris parte, continentur validiora exigunt quam quæ in ventriculo, & intestinis: & quæ in secunda regione corporis, venisque majoribus, fortiora, quam quæ in prima, ita vt à remotioribus trahant. Superioribus

pro bile flava purganda, additur ſcammonium ſive diagridium, pro melancholia, helleborus niger, & lapis laxuli, pro pituita, colocinthis, &c. In ſecunda regione corporis, totoque venoſo genere, diſpoſitio humorum redundantium, præter naturam eſt vel plethora, cacochimia. Utraque varia, vt ſæpius dictum. Plethora ſponte ſua, natura, fluxu ſanguinis narium, menſtruorum, venarum hemorrhoidalium: Ars vero, vt ſuccumbenti, aut impeditæ ſubveniat, atque vicem ejus ſuppleat, phlebotomia ſcarrificatione, & hirudinibus, evacuat. Cacochimmia, natura irritata, copia, aut qualitate humoris peccantis, per ſuperiora, vomitione, aut inferiora, dejectione expellere ſolet. Ars Medica naturæ imitatrix, idem præſtat, purgatione ventris aut vomitione, adhibitis medicamentis carharticis, quæ vim habent, educendi per eaſdem vias. Phlebotomia & purgatio magna remedia ſunt, magnique redundantiis humorum debentur, vt gravi illorum onere totum corpus liberetur. Quare ſi plethora aut cacochimia parvæ fuerint, hæc nullatenus expoſcunt, ſed leviora, qualia ſunt abſtinentia, ſudorifica, diuretica, ſomnus ab inedia, aut exercitiis matutinis, deambulationibus, & balneis. Quia humiditates, exſiccant

cant consumuntque deinde phlebotomia, & purgatio præcipuè, morbis adhibentur, qui ab immodica copia humorum foventur. Ideoque in quibus, quales, quo tempore, per quas vias, & quomodo administrari debeant, in Therapeuticis declaratur. Tandem quæ in tertia corporis regione corrupta, in venas majores recurrunt: Purgationibus debitis, excernuntur. Quæ verò in ipso habitu corporis consistunt, præmisso cathartico, tollũtur sudoribus, aut insensibili transpiratione, exercitiis, frictionibus, balneis, fomentationibus, & inunctionibus, diaphoreticis, vt decocto guajaci, sarsaparillæ, sarsaphras, radehynæ, theriaca, mithidatio, & similibus de exercitiis, balneis frictionibus paulo post agetur. De sudorificis & legitimo eorum vsu, à practicis fusè satis dicitur. Particulatim quæ in singulis partibus continentur, specificis tolluntur. Ut quæ in capite per nares, sternutatoriis, & errhinis, per os, apophlegmatisis; per cõmissuras cranii, fotu embrochis, suffitu, sacculis, invnctionibus, &c. Quæ in pectore & puimonibus: Bechicis. Quæ in renibus & vesica, vasisque vrinariis Diureticis. Quæ in vtero, menses cientibus. Quæ intra peritoneum: Partim catharticis, partim diureticis, & sudoriferis, interdum

vstione

uſtione aut ſectione ventris, &c. Quibus & quomodo ſingula horum fieri debeant in Therapeuticis explicatur, tandem ſemen retentũ intra vaſa, educitur moderato veneris vſu, de quo infra peculiari capite agemus. Molem & ſubſtantiam corporis, juſto majorem emaciant, & attenuant, nonmodo cibi, parum nutrientes parce, aut ſemel in die ſumpti, ac inedia: Sed etiam acida, acerba, acria, copioſæ crebræque alvi dejectiones, vomitus, fluxus ſanguinis, omnis vehemens exercitatio, præcipuè vacuo ſtomacho, balnea matutina, in aqua calida, & poſtea ſomnus, durum cubile, curæ, vigiliæ, ſollicitudines, aliaque ejus generis vt alibi latius. Quemadmodum repletio, inanitionem; ſive retenta in corpore præter naturam, evacuantia: Ita inanitio, repletionem, & exeuntia ſive excreta præter naturam, retinentia, ſiſtentiave; & reficientia poſtulant ad ſanitatem corporis conſervandam; requiritur debita qnantitas ſubſtantiæ, partium ſolidarum, humorum & ſpirituum. Proinde cujuſque horum defectus, inanitio dicitur. Verum quia ex humoribus, partes nutriuntur, ſpirituſque reficiuntur. Ideo, inanitionis nomine, hoc loco potiſſimum intelligenda, humorum vtilium, ſive alimentorum in corpore, inopia:

Cujus

Cujus ratione, non ſolum partes ſolidæ extenuantur, ſed etiam ſpirituum & caloris nonativi ſubſtantia minuitur, & diſſolvitur; exeuntium verò præter naturam appellatione, vtilium aut invtilium, cum vtilibus, aut invtilium non debita quantitate, & modo excretio. Utilia autem hic vocamus ad nutritionem neceſſaria. Invtilia, omne ſupervacaneum in corpore, damnum adferens, vel qualitate ſolum, vel quantitate, vel vtraque vt excrementa omnium partium. Sive naturalia, ex nutritione reſultantia: Qua, vtile, ſive alimentum, ab invtili ſeparatur; ſive non naturalia, in partibus congeſta, concoctione vitiata, citra ſeparationem vtilis, bonique, à malo. Triplex autem vt antea dictum eſt alimentum & cuique ſua datur inanitio, nam vero alimento, quo ſingula membra reficiuntur. Subſtantiæ ſolidarum partium fluor: ſive per inſenſilem tranſpirationem, immodicos aut diaphoreticos ſudores, aut membrorum colliquationem. Deinde quaſi alimento, nimirum ſanguini: Omnes illius evacuationes præter naturam. Per vterum, hemorrhoides, nares, os, alvum, vrinas, vulnera opponuntur. Tertio futuro alimento, primario vomitus & lienteria, ſecundario cæteræ fluxiones alvi, & vrinæ: Inanitio ſi-

ve evacuatio omnis præter naturam, reprimentia primum diſiderat. Deinde reficientia, verum cum omnes ejuſmodi fluxiones, non æque noceant, nec temere ſtatim ſiſtendæ ſint: Conſiderandum diligenter, quas penitus inhibere, quaſque permittere, & tantum moderari liceat, & quando, quibuſque præſidiis, id fieri opporteat. Supprimendæ itaq; eæ ſunt, quæ nocumenta adferunt, corpuſq; impenſius exhauriunt: Cujuſmodi ſunt ſudores diaphoretici, vomitus ciborum continuus, dyſenteria, cum ramentis inteſtinorum, fluxus colliquativi, omneſque qui cum angore, dolore, virium exſolutione, febrique accidere ſolent: Necnon quos natura proritata, per alienam, & incommodam viam concitat: Quod affectus novos gravioreſque inferant. Dimittendi verò ſunt quas natura, ex invtili materia, per quas debitas vias molitur, cum tollerantia aut conferentia. Ut diarrhæa à natura, ſponte ſeſe exonerante. Quia vt monet Celſus: Alvum vno die, ſæpiùs fluere, pro valitudine eſt: Atque etiam pluribus, ſi abſit febris, & intra ſeptimum conquieſcat: Purgatur enim corpus, & quod intra læſurum erat, vtiliter effunditur. Ideo ejuſmodi alvi fluxus, reprimendi non ſunt: Sed acrimonia contemperanda, dolores ſedandi. Quod faciendum

ciendum quoque eſt, in diſſenteria ante evacuationem humorum. In profluvio menſtruorum hemorrhagia præcipuè eorum qui capitis dolore & totius corporis plenitudine præmuntur ac influxum ſanguinis per hemorrhoides quem nullo pacto ſiſtere, ſed vnam veram ad minimum apertam relinquere expedit occaſio reptimendi ſumitur ex tollerantia & comferentia ægri. Nam quando fluxiones non proſunt, nec laborantes eas facile ferunt, ſed anxietates dolores atque animi deliquia invehunt. Opportunum tempus erit inhibendi, quomodo, autem quibus præſidiis, id fieri debeat in therapeuticis declaratur: Repreſſa inanitione, aut evacuatione, quod deperditum eſt reparandum Alimentis convenientibus nimirum ſubſtantia ſolida in atrophia & maraſmo; carnibus boni ſucci, multi nutrimenti reficienda. Spirituoſa in animi deliquiis liquidis aereiſque Vino; ſcilicet juſculis aqua Cinnamomi, aliiſque fragrantis odoris reſtauranda carnoſa, humoroſa iis quæ in medio humidorum ſolidorumque conſiſtunt reſtituenda. Corpora macilenta, nimium attenuata, ad habitum athleticum perducit: Non ſolum victus liberior & liberalior, ex alimentis pinguibus, dulcibuſque, optimi ſucci: Sed etiam exercitationes moderatæ,

deratæ, frictiones, inunctiones, & balnea: cibo confecto, absque sudore, somnus nonnihil solito longior: Molle cubile, animi securitas, vitaque jucunda.

De Motu & Quiete in genere: Deque exercitationum frictionumque differentiis & effectis. Cap. 10.



T in Somno & Vigilia; ita in Motu, atque Quiete, modus naturæ conveniens, tenendus est. Siquidem quies immodica, ociúmve, vt somnus longior, nativum calorem obtundit: Vires corporis enervat, ejusque membra, per quæ fit Alimenti distributio languida, & invalida reddit, crudos frigidosque humores congerit, excrementorum copia replet, & putredinem accersit. Unde NASONIS illud.

Cernis

Cernis vt ignauum, corrumpant otia corpus.
Vt capiant vitium ni moueantur aquæ.

Contra nimii & intempestiui motus, vt Vigiliæ diuturnæ, per se calefaciunt humores immodicè digerunt corpora exsiccant, attenuant, virium substantiam evacuant, concoctiones impediunt: Ex accidente morbos frigidos, humidosque pariunt. Quare vtriusque moderatio ad Sanitatem conservandam necessaria est. Sub Motu autem continetur primo, Motus leviores, qui anhelitum nullatenus alterant: Vt deambulatio, vectio, &c. Deinde validiores, aut vehementiores, qui respirationem tandem crebram efficiunt, & exercitationes propriè appellantur. Cum verò id quod vehementius est in iis sit, quæ cum aliquo conferuntur: Fieri poterit, vt idem motus vni exercitatio sit: Alteri non sit. Exercitationes primum omnes, aut simpliciter tales dicuntur: Vt saltus, magnæ, parvæque pilæ ludus, &c. Aut exercitationes simul sunt & labores, sive operationes in vsu vitæ, vt fodere, remigare, arare, venari, ligna findere, onus portare, &c. Deinde Exercitationes aliæ cum robore sine violentia, absque celeritate obeuntur. Quæ validæ vocantur vt fodere, gravi onere sublato in eodem loco consiste-

re, aut paululum progredi, per funem, manibus apprehensum scandere, &c. Aliæ cum celeritate, sine robore, & violentia peraguntur: Quæ celeres propriè appellantur; cujusmodi sunt cursus, equitatio, parvæ pilæ lusus, &c. Aliæ cum caleritate simul, & robore suscipiuntur, quæ vehementes nuncupantur; vt remigare, luctari, cum gravi armatura pugnare: Aut celeriter decurrere sine intermissione, saltare aut fodere, & in summa omnis valida exercitatio si accedat celeritas motus. Tertio Exercitationes nonnullæ partem aliquam corporis potissimum exercent, vt cursus, & saltus, crura, assiduo se inclinare, & reflectere lumbos, remigatio, jaculatio, disci jactus, vmbratilis armorum meditatio; item manus, brachia, & manus: Magnæ respirationes vociferationes, pectus & pulmones. Quidam totum corpus: Ut palæstra, natatio, parvæ pilæ ludus juxta veteres, in quo sicuti describit GAL. peculiari opusculo, adesse debent colli prehensiones complexus palestrici, & similia. Verum hodie usitatus non est; sed alius fere que vel pede palma, reticulo, vel baculo. Hinc diversa pilarum genera. Nam alia trigonalis dicebatur, à trigone, loco triquiro, seu triangulo schemate constructo: In quo pilæ usus exercebatur. Unde

quoque

quoque ipsa pilâ trigon appellatur apud MART. LIB. 4. EPIGRAMM. 19. his verbis:

Cæu lentum cerema teris tepidumque trigona.

Et LIB. 12. EPIG. 84.

Captabat tepidum dextra lævaque trigonem.

Ætati robustiori fræquentissima. Cui ita à pubertate juvenes se assueverunt: Ut vtraq; versare jactareque manu possent. Alia follis vocabatur: Quia vento aut spiritu, seu folle quodam detenta fuit: Senibus & pueris apta, vnde MART. LIB. 14. EPIGRAMM. 47.

Ite procul juvenes mitis mihi convenit ætas,
Folle decet pueros ludere, folle senes.

Hoc pilæ genere Augustum delectatum fuisse scribit SUETON. in vsu etiam erat follis quidam pugillatorius, suspensus in gymnasiis superne è culmine, tantumque à terra distans; vt fundum ad ejus qui exercetur vmbilicum pertineat. Hunc vtrisque manibus tenentes, qui exercentur primum quidem quiete, postea verò vehementius, gestant: Ita vt ipsum recedentem consequantur, & iterum redeunti cedant violentia compulsi: Postremo verò eam è manibus rejicientes emittant: Ut cum revertitur, vehementius corpo-

ri adventu ſuo occurrit. Sicuti refert ORIBASIUS, CAP. 33. LIB. 6. ex ANTILLO. Tandem motus alios animata à ſe-ipſis tantum habent. Cujus generis ſunt curſus, deambulatio, natatio cæterique omnes jam enumerati: Alii extrinſecus iis adveniunt quales ſunt navigatio vectio ſive geſtatio in vehiculo, lectica aut cunis, additur frictio & equitatio. Verum hæc mixtus motus eſt non enim in ea ſicut in geſtatione ſufficit, vt à geſtante tantum agiteris, ipſe nihil agas ſed opus eſt vt vtriſque fœminibus equi coſtis adhæreas, ſpinam erectam ſuſtineas, crura extendas, brachia, collumque quoquoverſum moveas. Sunt etiam motus nonnulli corporis quos medicamenta concitant nimirum vomitoria, alvum ducentia; ſed hujus loci non ſunt. Adduntur motibus qui à nobis eduntur omnes Exercitationes palæſtricæ, & gymnaſticæ quas veteres pædotribæ, & gymnaſtici optimè cognoverunt: Licet quid vnaquaque efficere queat ignorarint. PLATO ſubtilioribus diſciplinis intentos, ad gymnaſticam exertationem revocat: Quam in ſaltationem, & luctationem dividit. Verum per ſaltationem non inimicam intelligit, aut indecentem, ſed corpus æqualiter & ordine quodam flectentem: Ad quam SOCRATES optaſſe

refertur

refertur domum latam ſpatioſamque luctationem verò dicit eſſe quæ à collo, brachiis, lateremque motu adhibetur, cum honeſto habitu & ſpe victoriæ. Utramque Exercitationem ad Sanitatem roburque conferre arbitratur. Ad leviſſimos motus referuntur, ſtare, & ſedere; quia ſine actione muſculorum non perficiuntur. Apud veteres magnus fuit Exercitationum vſus variique modi jam exoleti: Eoſque juxta GAL. LIB. 3. De SANIT. TUEND. Antecedere frictio præparatoria, ſubſequi verò ſolebat ἀποθεραπεία, id eſt frictio recuratoria, ſæpè balnea quibus abſque exercitationibus non raro conceditur locus. Quare nos hic dicemus primum de frictione per ſe conſiderata. Deinde de frictione præparatoria. Tertio de Legitimo motuum exercitiorumque vſu. Quarto de ἀποθεραπεία tandem de Balneis.

In genere frictio alia corporibus noſtris carnem ſolvendo aut ligando emolliendo, ſive indurando augendo, vel minuendo commoda. Alia iis quæ vtilitatem adferunt miniſtra. Ut frictio præparatoria & recuratoria. Deinde Frictio alia ſicca eſt quæ ſolis manibus, linteóve perficitur: Alia humida, cum oleo. Pro cujus qualitate effectus ſuos etiam variat. Præcipuè autem Frictionis differen-

tiæ ſumuntur ab ejus qualitate, & quantitate, quare ratione qualitatis Frictio omnis, vel dura, vel mollis, vel media reſpectu verò quantitatis multa, pauca, aut mediocris. Ex his ſex novem Conjugationes oriuntur. Ut dura multa, dura pauca, dura quantitate mediocris ſimiliter mollis multa mollis pauca, &c. Dura autem Frictio corpus indurat cogit denſat: Mollis contra emollit laxat, ſolvit, per halitum degerit media tationem mediam obtinet. Deinde multa carnem minuit, diſſolvit gracilitatem inducit. Pauca eadem quantitate relinquit. Mediocris carnem auget. Nam multa magnave primum quidem ſanguinem ad partem ducit poſt diſcutit: Mediocris verò trahit ſed non diſſipat, attractoque frui permittit: Quorum neutrum præſtat pauca. Quare multa dura de carne ſubſtrahit, & indurat multa mollis eandem minuit & emollit. Dura quantitate mediocris carnem duram auget, mollis mediocris carni molli incrementum addit. Eademque in cæteris ratio eſt. Hinc facilè erit judicare quæ Frictio vnicuique corpori propriè conſentanea ſit. Nam ſi quis ſanus mediocri coporis habitu præditus ſit, ei, nec qualitate dura, aut mollis, nec quantitate multa convenit: Sed pauca, qualitate mediocris: At ſi corpus molle, &

ſupra

ſupra modum reſolutum ſit duriter, ſin durum, ſiccúmque molliter fricandum: Si gracile ſine qualitatis alteratione adhibita mediocri frictionè in quantitate & qualitate reficiendum. Sin craſſius frictione multa ſimul & mediocri. Si corpus mediæ ſit qualitatis, alioqui ſi durius multa & molli, ſi mollius multa & dura, emaciandum extenuandumque. Eademque in cæteris ratio. Sanum temperatumque corpus: Si nil ſit de quo quæratur ſuper-vacaneum erit fricare niſi ingenti frigori occurrendum videatur: Cæteris Frictio aliqua vtilis eſt ſæpe inſtituenda, potiſſimum mane, depoſitis alvi & veſicæ excrementis interdum veſperi ante cœnam. Qui læſſitudinis ſenſu aliquo afficitur, inungendus molliterque fricandus ſimiliter ſiccior plus juſto, tractandus, verum non ita molliter nec duriter quod nec corporis habitum mutare, nec per habitum digerere; ſed tantum digeſtionem promovere conveniat ſin cutis ſiccitati conſultum cupias. Mollis ſit Frictio, cum largo oleo dulci à frigore verò contractam plurimum frictione ſicca, celeri poſtea cum oleo calefaciente adhibito, ſubmovere ſtudebis: Cutis autem laxitatem à balneo: Aliiſque, ſive internis, ſive externis cauſis genitam; tollere frictione pauca primum ſicca, deinde cum oleo

curabis. Vespertina Frictio lassatis, vel exsiccatis vel Alimentum non sentientibus, sive quorum corpus non nutritur accommodatissima. In Sanis temperatis, si adsit nimia lascitudo aut corporis siccitas, prandium minùs sit; quo sumpto quiescant parumque inambulent ante cibum, subductisque alvi excrementis oleo dulci perfundas, intacto stomacho, quem oleo Absinthii, vel Nardi fovebis. In omni autem frictione post initium, corpus nonnulli intumescit: Deinde protracta continuataque gracilescit, quare macilentum corpus ad tumorem tantum fricandum erit at si exercendum sit ante lassitudinem desistendum. Contraria in obæsis ratio. Cum autem non liciat ex improviso validos motus aut Exercitationes subire nisi præmissa præparatione corporis ideo veteres ante eas vsi sunt frictione præparatoria, vt partes solidæ emolliantur, humidæ solvantur, meatusque corporis relaxentur: Alioque periculum est ne violento motu, vel aliqua partium solidarum rumpatur, vel excrementis meatus obstruantur: Fricandum ergo initio cum linteo primum blandius donec corpus incalescat, floridusque rubor per totam cutem appareat: Deinde nudis manibus cum oleo, frictionibus mediis inter duras & molles in omnē loci

loci differentiam, vt corpus in ſua natura conſervetur, nec durum, nec laxum reddatur non tamen validis diutius, ſed ſemel, aut bis in vna parte inſiſtendum. Verum certa menſura frictionis ſtatim accurate definiri nequit niſi experientiam vniuſcujuſque naturæ habueris, cum nonnulli ſint ad Exercitationem alacriores, aliqui ſegniores, ineptioteſque, & quidam graciliores velo baſiores, &c. Poſt frictionem præparatoriam veteres exercitatione moderata, naturæque accommodata vſi ſunt.

De Utilitate exercitationum, primum in genere, deinde in ſpecie, Cap. 11.

EXERCITATIO Tempeſtiva, moderataque plurimum conducit, ad εὐεξίαν bonúmve habitum corporis, Sanitatemque inculpatam comparandam, conſervandamque. Quandoquidem eam tria conſequuntur, ſcilicet augmentum innati caloris, ſpirituum citatior motus, & membrorum durities, ex mutuo partium attritu. Hinc plurima commoda in vniverſum corpus redundant. Siquidem ex augmento caloris nativi melior Alimentorum attractio, concoctio & nutritio perficitur: Deinde ob fortem ſpiritus motum, tam ſenſiles quam inſenſiles meatus expurgantem facilior excrementorum expulſio obitur.

Tandem ob membrorum duritiem partes ad actiones robuſtiores efficiuntur, minuſque offenduntur. Quemadmodum exercitatione, &

ne, & labore corpora roborantur, & ſanguine per molem corporis delato, partes omnes melius nutriuntur, augenturque. Ita ocio dimiſſiſque ſolitis exercitationibus non ſolum ad motum invalidæ redduntur; Sed etiam defectu Alimenti extenuantur ideo membra paralyſi, & convulſione affecta tabeſcere & extenuari, & genitalia ocioſa tenuia, & ad ſua obevnda munera invalida cunſpicimus: Quæ ratio non ſolum in corpore corporeiſq; actionibus; ſed & in anima locum habet nam vt diſciplinæ omnes multa animi agitatione atq; meditatione diſcuntur ita quæ quis dedicerat ſocordia negligentiaque obliviſcitur. Omnis autem exercitatio, per ſe calorem nativum accendit, & ſuperfluos humores per halitus diſcutit: Ex accidente tantum morbos generat, intempeſtivo nimirum vſu, vt in pituitoſis, quia crudos frigidoſque humores diffundit, & interdum ad aliquam principum partium impellit.

Exercitationes continuæ ſine intermiſſione ſive ſint celeres, ſive validæ intenſius calorem inflammant. Verum exiguam excrementorum copiam diſſolvunt. Contra longæ interruptæ licet vſq; adeo calorē non augeant, plurimum tamen ſenſim in halitus digerunt: Nam ob pororum anguſtiam non niſi paula-

tim & longo tempore multa diſſipari queunt. Particulatim celeres motus calori incrementi adferunt corpora imminuunt.

Contra Robuſti, valenteſque, carnem indurant muſculos articuloſque roborant. Ideo vehementes vtrumque præſtant. Exercitationes, motuſque immodici, multum attenuant corpora biliosa & gracilia reddunt: Pauci vero, debiles & tardi emolliunt ignavioraque efficiunt. Cõmendantur præ cæteris illæ, quæ totum corpus ex æquo movent: Qualis eſt GALENO parvæ pilæ luſus de quo poſtea. Improbantur quæ inæqualiter membra afficiunt. Nam his alia defatigantur, alia otiantur, quorum neutrum bonum eſt, cum vires convellat, & morbos interdum accerſat. Nihilominus ſi exercitatio iſta non admodum inæqualis, mulctaque fuerit, partem quam maxime exercet, plurimum corroborat, niſi in provectis ætate, in quibus pars naturaliter languida, vel morbo alicui obnoxia, laborem ſubire non-niſi magno cum Sanitatis diſpendio poterit. At in aliis membra invalida morbis laborantia vires acquirunt, ſi moderate fiat, eoque magis quo à ſenio longius abſunt; Ut demonſtrat GALEN. 5. De Sanit. Tuend. CAP. 3. Verum de ſenum exercitatione ſeorſum agemus. Cum igitur in Sanis corpore

pore firmo præditis Exercitatio robur adferat, à contrario sanguinem cum spiritu attrahat ideo deambulationes, cursus, saltus, calorem quidem nativum adaugent, actiones expeditiores vt cæteri motus reddunt. Sed in primis lumbos, cruraque firmant, humores infra ducunt omnium autem moderatissimè deambulatio; Cujus variæ sunt differentiæ aliæ enim multæ aliæ paucæ. Deinde aliæ lentæ, placidæque aliæ concitatæ, robustæque: Item aliæ cum intensione cruruum ac quædam quæ extremis digitis obeuntur, &c. Præterea ratione loci, vel acclives, vel declives, vel in plano, vel in arena, vel terra molli, aut solida, sub dio aut in domibus perficiuntur, &c.

In genere deambulatio omnibus conducit quibus à supernis ad inferiora fluere debeat aliquid aut ad excernenda quæ ad infima feruntur propensa. Speciatim tamen Pauca, fatigatis, ac quibus gravitas est in corpore confert: Multa verò capiti, thoracique male affectis; nec non infirmis membris, nutricatu destitutis expedit. Deambulationes lentæ vt paucæ imbecillioribus post cibū iisdem assuetis, à somno nuper expergefactis, & præparationis gratia ante majores Exercitationes conveniunt quare paucæ placidæ; & non in-

tentæ ad Apotherapiam, ſive corporis recu-
rationem adhibentur. Confectis graviori-
bus Exercitiis, poſt purgationes ad animi re-
creationem reſpirationis facilitatem, om-
nemque affectionem quæ laſſitudinis ſenſum
afferat. Contra multæ concitatæ, ſive robu-
ſtæ intentæque auxilii, aut curationis cauſa
ſuſcipiuntur.

In morbis capitis oculorum, Thoracis (ni-
ſi ſputum ſanguinis adſit) ventriculi, coxen-
dicum atque vbi à ſuperioribus partibus ali-
quid delabi aut deorſum, is alvi fœcum reten-
ſione, aut vrinæ ſuppreſſione evacuari debet.
Quando etiam cibi ſupernatant: Aut nidoro-
ſum, aut acidum, ſtomachus eructat. In his
ſemper lente incipiendum vehementius con-
citatiuſque progrediendum, ac ſub finem ite-
rum pedetentim remittendum. Peculiariter
deambulationes robuſtæ concitæve validiori-
bus perfrigeratis ægre ſpiritum languidum
trahentibus; item convaleſcentibus, & ſeg-
niore corporis mole præditis accommodatæ
ſunt. Intentæ vero quæ cum intenſione cru-
rum, aut calcibus incumbendo peraguntur,
ominibus aptæ quibus materia ſurſum fertur.
Aut partes inferiores Alimento non fruuntur.
Ideo capite malè affectis ex conſenſu inferio-
rum maximè partium, & Thoraci humidio-
ri, men-

ri, menſtruorum ſuppreſſioni; Uteri ſuffocationi, &c. Magno ſunt adjumento. At Intentæ quæ extremis pedum digitis obeuntur imprimis alvo ſuppreſſæ & lippitudini conferunt. Acclives deambulationes. Cruribus partibuſque quæ moventur. Robur addunt: Superiora excrementa ad ſuos meatus propellunt, reſpirationem confeſtim alterant: Ac vicem magnarum exercitationum ſubeunt. Declives vero cruribus laborem adferunt: Sed magis quam aliæ materiam deorſum trahunt aut à capite ad inferiora ducunt. Deambulationes quibus circumvolutiones curſuſque in orbem quamvis capiti noxiæ Thoraci tamen, & cruribus commodæ.

Præterea deambulationes nudis. Pedibus peractæ, refrigerant diſtillationes excitant & ventrem movent. Deambulationes vt cæteræ Exercitationes: Quæ cœlo ſereno fiunt, ſalubriores ſunt quam nubilo, & in vmbra locoque aprico, quam in ſole illuſtrato, & in parte domus editiore quam inferiori, & ſub tecto humili, vt infra oſtenditur. Quæ in viis fiunt minore labore, quam campis abſolvuntur: Quæ in loco aſpero duroque, caput replent: Crura delaſſant, muſculos nervoſque afficiunt: Quæ in arena præcipuè profunda inter vehementes Exercitationes numerantur,

& efficaciſſimæ ſunt ad partes omnes firmandas materiamque ad infernas derivandam, ad has proximè accedunt quæ in terra valde molli perficiuntur. Blandiſſimæ vero in pratis, ſed loci humiditate caput vaporibus implent, prope flumina humectant, ſecundum paludes ſtagnaque ſpiritus hebetant, & vt plurimum halitu corrupto inquinant: Per loca calida arctaque ſudoribus corpora macerant contra per frigida.

Nam carnem denſant, appetitum ciborum augent: ſed partibus exanguibus nocent. Tandem matutinæ deambulationes ſpiritus illuſtrant, alvum vrinaſque movent, ſegnitiem exſomno contractam, diſcutiunt appetitum juvant, augentque: Veſpertinæ vero, ad ſomnum præparant flatuſq; diſſolvunt. Capiti infirmo proſunt præcipue à cœna: Sed eæ placidæ eſſe debent, & æſtate prope flumina aquaſque fluentes. Curſus deambulatio quædam vehemens & concitata eſt: Quocirca inter vehementiores locum habet; Ideo corpora calefacit naturales actiones corrobarat appetitum revocat, ſtomachum firmat, defluxiones evocat, ac primum quidem eas excitat; Sed poſtea cohibet: Opem fert quoque renum calculo ſeminiſque profluvio colicisæ etiam iſchiadicis qui licet initio vix moveri

queant

ubi tamen in cursu sunt ita properant vt eos morbi pr opemodum oblivo capiat: Sed capiti obest cursus qni tecto corpore incuntur, magnam sudoris copiam eliciunt. Qui nudo exiguam evocant: Sed per halitus plurimum digerunt indurant exsiccant. Recursus vero in posteriora, non admodum celeriter susceptus, capiti, oculis, tendinibus, stomacho, & lumbis salubris est: Nec vt ad anteriora factus, caput vaporibus onerat cursui similia sunt exsilere, & saltare: Proprie autem exsilire est corpus à terra directe in altum, poplites inflectendo, & circumvehendo elevare. Saltus vero motus est fere crurum continuus: Quo etiam veteres Lascenæ mulieres vtebantur circumflexis cruribus, interdum alternatim inflexis ita vt calcibus nates attingerent: Et hodie varii ejus modi sunt pro nationum diversitate.

Exsilire & saltare, humorum à superioribus, & ad superna tendentem, ad inferiora ducit: Sed efficacius saltus deinde exsilire diuturnis capitis, ac thoracis effectibus, cruribus imbecillis, emaciatis stupidis tremulisque congruit. Saltus vero corpus agile & ad actiones promptissimum reddit, Sed morbis thoracis inimicus. Ad nates vero institutus valide ad infima trahit: Ideo caput purgat, siccat, &

authore HIPP. menſes evocat, fœtus, & ſecuridinas nimium ſubſiſtentes expellit: Uterum ſurſum contractum ad ſuum locum revocat: Hemorrhoidas provocat, &c. Ut deambulatio & curſus crura pedeſque ita diſci jactus, jaculatio, ſciomachia remigatio, lignorum ſciſſio, in pila frumentorum contuſio, & ſimilia humeros atque brachia confirmant, nervos roborant, fluxiones ad infernas partes intercipiunt: Verum remigatio quia inter validas vehementeſque motus refertur, corpus inæqualiter afficit, niſi aſſuetis vix concedi poteſt.

Deinde ſchomachia, id eſt vmbratilis pugna ſi non ſolum manibus percutiendo, Sed etiam cruribus interdum ſaltando, nonnunquam calcitrando fiat totum corpus exercet materiamque ad infirma revellit vt magnum inde thorax inteſtina, & renes emolumentum referant: Senibus aut natura invalidis, quibus crura ſunt debilia, melius ſemper eſt ſuperiores exercere, quod ſimul inferiores aliquo pacto moveantur partes quæ in medio ſitæ ſunt vt ſtomachus, jecur, lien, inteſtina exercitatione, tam ſuperiorum, quam inferiorum ſublevantur, CELSUS, LIB. 4. CAP. 5. Aptiſſima ventriculi vitiis, ſuperni corporis membrorum exercitia judicavit. Ideo ci-

bo præm

bo præmiſſa levi deambulatione pleriſque alveoli, aut teſſerarum ludus plurimum commendatur, quod levi brachiorum jactatione ventriculi concoctio promoveantur, qua ferè perfecta diſci jactus admittuntur. Quamvis hic motus nonnihil ſit vehementior. Quæ eſt ratio in his exercitiis, eadem in iis eſt quibus totum corpus movetur: Ad quos ſpectant palæſtra natatio armorum pugna parvæ pilæ luſus, &c.

Lucta palæſtræq; corpus ſolidum muſculoſum reddit, ſpiritus nervoſque firmat, ſenſus acuit, naturales actiones vegetat, carnem denſam, ſed paucam efficit, pinguedinem, tumores non naturales, & ſuperfluos humores diſſolvit. Verum pectori officit, & robuſtis tantummodo confert. Palæſtra vero placida, carnem deperditam reſtaurat, erecta capiti, thoraci, nerviſque debilitatis, vtilitatem adfert ſuper pavimento lumbis genubus, & inteſtinis vitiatis ſubvenit. Armorum pugna armis induti contra columnam tanquam adverſarium, Romani vtebantur vt milites ad bellum paratiores redderentur, & proprie ad longam reſpirationem corporiſque firmitatem conſequendam inſervit. Verum capiti nociva præcipuè ſi galea contegatur & vires robuſtas, vt palæſtra exigit. Natatio perra-

ro, & niſi æſtate vſurpata, per halitus evocat calefacit, attenuat ab externis injuriis protegit. Sed minus in aquis dulcibus quam ſalſis, ſive marinis quæ ſcabioſis elephantiacis, hydropicis, & partibus fluxioni obnoxiis ſuccurrit. Verum omnis natatio caput lædit at locus ei non datur, niſi corpus frictione præcaleſcat, vt poſtea de balneis dicetur. Ex omnibus exercitationibus à GAL. Commendatur maxime parvæ pilæ ludus veteribus vſitatus cui ſimillimus in multis ille quo homines inter ſe diſtantes reticulo aut palma, pilam vltro citroque percutiunt, & propter multos, varioſq; inter ſe ictus hinc inde diſcurrunt cum continuitate, & vehementia.

Hic tempeſtive & non vt fieri conſuevit immoderate ſpe gloriæ aut lucri factus, totum corpus ex æquo maxime exercet: Ideo membra omnia confirmat valida compacta, & ad actiones prompta reddit. Nam ob motum brachiis & oculis propter curſum, cruribus. Proprer inflexiones, & reflectiones multas, ſpinæ lumbiſque non exiguum commodum præſtat. Nec interim caput replet, vel offendit præterea animum vegetum, alacremq; eſſicit. Verum vbi palæſtritarum more certatur, junioribus, robuſtiſque quam ſenibus, aut debilibus accommodatior: motus vtiliores

ſemp

ſemper ſunt qui à nobis cum noſtrę ſunt actiones quam qui ab aliis perficiuntur inter hos eſt geſtatio, quæ media ferè eſt inter motũ & ſitum partium quieſcentium: Atque adhibetur non ſolum jacentibas ſed etiam ſedentibus vt pueris in vlnis cunis vel lectulis pendentibus, aliis in lectica vel fella, vel vehiculo, vel navi vento & velis, vel remigibus agitata. Huc etiam referri poteſt equitatio. In genere geſtatio calorem nativũ auget, actiones ſegnes & languidas excitat, ſtuporem removet corporis turbationem ſedat: Atque iis quos vigiliæ cruciant digerendo humores vaporeſque per halitum diſſipando ſomnum provocat. Veternoſis corroborando viress, caloremque innatum ſuſitando, vigilias inducit. Peculiariter geſtatio in lectica diuturno morbo confectis, tarde nutrimentum conficientibus pica laborantibus diutius quam par eſt vigilantibus, helleborum aliudve vomitorum ſumentibus. Maximè conveniens eſt, verum cum lecti ca alia penſilis alia non penſilis in illa geſtatio inter leviſſimas exercitationes habetur ideo ante & poſt cibum in vſum ducitur in hac à cibo non niſi vomiturientibus imperatur. Deinde geſtatio in ſella febricitantibus imprimis tertiana intermittente tentatis

injungitur; aut iis qui comate aut lethargo corripiuntur. Præterea geſtatio quæ vehiculo fit: Alia eſt altera laborioſior, ſicut etiam navigatio & equitatio. Nam vectio in curru pro curruum diverſitate: alia mollis alia dura. Item alia fortis vehemenſque alia placida. In genere ſcribit Ætius Tetrab. 1. Serm. 3. Cap. 6. Vectionem in curribus, carruciſq; factam, humores magis turbare, quam geſtationem in ſella aut lectica, & longis morbis adverſam Antil. teſte Oribaſio Cap. 23. Lib. 6. Vim habere amoliendi, & commovendi morbos ſtabiles & permanentes, magis autem turbat dura vectio, quam minus dura & fortis intenſaque quam fortis paria adfert incommoda cum equitatione forti. Probatur in debilitate & affectibus oculorum ac vertigine ſi quis in curru loco ſupiniore ſedeat, facie ab itineris progreſſu averſa ſuaviterque moveatur. Quarto geſtatio vectiove quæ in navibus fit, parum ab ea differt, quæ curru adminiſtratur. Quæ in flumine, aut tranquillo mari, propè terram fit, parvam turbationem parit eademque ferè præſtat, quæ geſtatio per currum, niſi quod in humidiore fiat aere. Ætius navigationem prope terram ac in ſedato mari cõducere dicit hydropicis, elephantiaſi laborantibus,

rantibus, attonitis, delirantibus: & licet initio ventriculus ſubvertatur, attamen aſſuefactione minus moleſtari. At Celſus navigationem levem in flumine, vel portu maris tranquillo, infirmiſſimis convenire docet. Valentiorem tabidis ſtomachi vitio aut hydrope vexatis concedi poſſe. Navigatio vero per fluctuoſum mare ventis navem impellentibus violenta, variaque eſt, ex maximè contrariis conſtans: Nam dum navis vento impetuoſo fertur motus celerrimos, vehementiſſimos & continuos habet: Ideo humores turbat & totum corpus valde commovet ac multos graveſque animi, præcipuè mixtos, ex timore, & ſpe affectus inducit. Præterea inſtabili volutatione commota navis quaſi ab albo helleboro periculoſæ vomitiones excitantur. Quæ diuturnis corporis morbis nonnunquã medentur tandem equitatio inter geſtationes numeratur, licet mixtus motus ſit vt diximus. Ejus in natura debilibus & ægrotantibus exiguus vſus eſt, nam equus ſi gradiatur nil magis quam laſitudinem fæmoribus & ex veſica laborantibus moleſtiam affert. Vehemens verò equitatio qualis in venationibus accidit, quãvis totum corpus at præcipuè ventriculũ firmat, inſtrumenta ſenſuum purgat, & acriora

reddit, excrementa à capite deorsum transfundit. Sed thoracem & debiles pedes, lumboſque offendit. Celerem equitationem lachrimas excutere ſcribit Arist. Probl. 13. & Sect. 5. & libidinoſiores reddere Probl. 12. Sect. 4. vt hinc conſtet facile populos bellicoſos, natura impenſius erga mulieres affectos. Unde Lacedemonii æque ad venerem atque ad bellum propenſi venerem armitum referente Pauſania Lib. 3. & Lactantio. Lib. 1. Inſtit. Chriſt. coluerunt. At Hipp. Lib. De aere & aquis equites ad venerem inutiles vult. Quod de iis intelligendum eſt qui plurimum & continenter equitationi indulgent, quos pedum quoque tumoribus & ex coxendicibus laborare teſtatur. Stare & ſedere, quamvis pro exercitationibus non habeantur, quia tamen ſine actione muſculorum nequaquam perficiunt: & actus ſtandi ipſo ſenſu validior exiſtimatur quam ſedendi & ſedendi quam jacendi ideo inter exercitationes leviſſimas à nonnullis recenſentur. Statio crura, lumboſque exercet, illiſque prodeſt quibus à ſupernis partibus aliquid defluere debeat. Sed diu multumque ſtare ſenibus præcipuè, pedes natura debiles habentibus nocet. Nec puero confert priuſquam perfecte ingredi cœperit

sint ne à pondere moleque corporis tenella crura lædantur. Standum autem est aliquātisper nobis experrectis, deinde molliter deambulandum: Idem quoque à cibo faciendum vt ad ventriculi fundum facilius discendat. Quidam inter standum, nonnihil pectori procumbendum esse putant, sed vertiginosi à statione diuturna abstineunt. Quod non ita sedentibus, & jacentibus vt stantibus accidat. Deinde plurimum frequenter sedere corpora pigra & ad labores inepta facit, ideo VITRUVIUS de re militari, & Livius à militia exercentes operas sedentarias, sive sellutarias rejicit. Eligendum est sedile nec durum nec frigidum quibus inferiora membra, natura, aut morbo invalida sunt molestiam adfert. In venationibus aut aucupiis cum vehementi equitatione conjuncta sæpe est vociferatio, quæ pectoris vocaliumque instrumentorum exercitatio est: Atque spiritus caloremque nativum purgat, attenuat, partes solidas roborat, pectoris humiditatem expellit, anhelosis, thoracisque absessibus, post rupturam necnon raucæ voci, ex multa humiditate genitæ convenit Nam tota corporis moles ex multis lectionibus & vociferationibus intenditur quia aer, quamplurimus respiratione

attractus, pectus, alvum & totius corporis meatus dilatat & viciſſim cum impetu emiſſus ad magnam vocem efficiendam muſculi pectoris & ventris ſe valide exprimunt. Ideo propter attenuationem ex motu factam multa ſputa reſoluta excutiuntur: & ob vehementem ſpiritus impetum corporis excrementa varie expelluntur: & quandoque vehementi vocis illa concitatione ſudor elicitur, at capitis affectibus nocentiſſima eſt vociferatio, & quando humor in pectus delabitur, quin & iis etiam minimè idonea. Quorum corpora pravis humoribus replentur & magnis cruciatibus torquentur. Ideo à voce exercenda deſiſtere jubet Ætius Cap. 5. tetrab. 1. Serm. 3. quicunque pravis humoribus circumfluunt vel manifeſta cruditate laborant, ne per vniverſum corpus plures corrupti ſucci, aut vapores diſtribuantur. Nunquam permittendum eſt inter orandum vociferandumque eouſque contentionis vocem procedere: Ut ſudor inde niſi corpora ſint pura, robuſtaque prorumpat. Temperandum quoque à nimis commotis vociferationibus. Nam inæquales ſpiritus intenſiones, raucedinem ſpaſmos, vaſorum ruptiones, herniâ & ſimilia excitare ſolent. Præterea Celſus lectionem, vociferationemque omnem à cæna cap

na caput infirmum habenti, in totum prohibet. Cæterum vſuros voce aut vociferatione, primum alvum exonerare, deinde infernas partes fricare, faciemque lavare, & mox à ſomno, ſe leviter loquendo, deambulandoque præparare: Atque ita ad vociferationes, lectioneſque; alta gravique voce, progredi decet. Incipiendum verò ſedata depreſſaque voce, non acri clamore: Ne priuſquam fauces incaleſcant, & vox probe permulſa ſit, arteria illo lædatur. Deinde longioribus intervallis vtendum, vt ſpiritu attracto vox reficiatur, & conticendo arteriæ requieſcant dum fauces incaleſcant arteriæq, complentur in æqualē conſtantemq; ſonum vox reducitur. In pueris, exercitationis vicem ſupplet plorarus; cum vociferatione. Ut ſuo loco de puerorum educatione dicetur præterea crura exercitationi vocis, affinis eſt anhelitus ſive ſpiritus retentio. Quæ intra partes Apotherapiæ à GALENO numeratur. Hac enim calor nativus in interioribus augetur, & quod ſuperfluum eſt deorſum præcipitatur levior etiam ſingultus à frigida cauſa retentione ſpiritus tollitur catarrhi quoque à capite non raro ſiſtuntur. Inter Exercitationes ponuntur res venereæ ſive coïtus, ſed quia in ea tam ſeminis immodica re-

tentione & excretione, quam motu peccatur ideo de venere peculiari capite agemus. Ex his facile erit de natura cæterorum motuum, & Exercitationum judicare.

Quibus naturis singula exercitia conveniant: deque loco tempore opportuno, ac modo debito exercitationis, & quietis,

Cap. 12.

SANITATIS Tuendæ curam susceperturus, primas partes jure merito, Exercitationibus tribuere debet vt toti corpori, singulisque ejus partibus suis muneribus obeundis, accommodatus debito modo, temporeque servatis, præscribere teneatur. Nam cum Exercitatio ad Sanitatem comparandam conservandamque necessaria sit, quod variæ sint huminum naturæ: Cum&

ræ: Cunctis vna, eademque nullatenus conveniens. Quandoquidem motus est vehementior, quod autem vehementius in iis est quæ cum aliis conferuntur, seu ad aliquid dicuntur fit vt idem motus, vni fit exercitatio, alteri non fit. Præscripto accommodato cuiq; exercitio quamplurimos priùs morbis assiduis implicatos in Sanitate multis annis se conservasse scribit Gal. 5. De Sanit. Tuend. Cap. 1. Alios inquit exercitari in totum vetuimus ipsa Sane à studiis vitæ exercitia cum solis vitæ actionibus sufficere decernentes: Aliis de multitudine exercitiorum demere aliquid jussimus. Ut totum ad minimum cotraheretur. Aliis qualitatem tantum, aut ordinem, aut tempus. Aliis vniversam earum speciem mutare injunximus. Æquè verò de Balneis præcipientes, &c. Prorsusque omnis morbi expertes multis annis reddidimus.

Motus Exercitatioque vnicuique competens judicatur, præcipuè ex consuetudine, postea ex ætate, viribus, & temperamento habituque corporis. Primùm teste Hipp. Aphor. 49. Lib. 2. Assueti solitos labores ferre etsi sint imbecilles, & senes, non assuetis, licet robustis & juvenibus, facilius ferunt: Quia vt Hipp. sequenti Aphor. consueta longo tempore deteriora, insuetis,

minus moleſtare ſolent. Quæ ratio in omnibus rebus non naturalibus locum habet. Nam conſuetudo, quia acquiſititia quædam natura, maximam vim habet: Temereque mutanda non eſt vt ſupra-dictum.

Ideo qui levibus exercitationibus multoq; ocio aſſueti ſunt, vehementes, graveſque labores, non ferunt, licet juvenes robuſtique. Cõtra magnis frequentibuſq. addicti, etiamſi ſenes & invalidi deſidia levibuſque motibus periculum vitæ ſubeunt: Quando his per exercitia ita vigeat calor nativus, vt fortior, ſit cum ſe exercent, quam cum in ocio vivunt. In ſpecie vero qui deambulationi, & curſui, tantum ſe dedunt, æquitationem: Et qui currum nunquam conſcenderunt, geſtationem ægre ferunt. Præterea licet exercitationum vnum genus ſit deterius altero, qui tamen eidem ſe aſſuefecit minus quam qui paulo meliori, minime conſueto detrimentum incurrit. Aſſueſcere non ſolum deteriori; ſed etiam vni alicui periculoſum. Quare conſulit Hipp. in Supra-dicto APHOR. ad inſueta tranſire, non ſubito ſed paulatim, in ocio temporeque ſanitatis ne repentina quadam mutatione, natura damnum patiatur, ejuſque noxa manifeſte ſentiatur, quare vt præcipit CELSUS Sanus homo qui bene valet, & ſuæ ſpontis eſt

nullis

nullis obligare ſe legibus debet, nec medico, nec à lipta ægere: Sed varium vitæ genus habere, interdum quieſcere fræquentiſſime ſe exercere, modo in vrbe eſſe, ſæpius in agro, navigare, venari, &c. Aliis qui acquiſititiam naturam longa conſuetudine compararunt. Satius eſt eandem ſervare, aut non repente mutare, deinde pueri & ſenes leviores motus tantum deſiderant: Iuvenes virique valentiores, & infantes præter ploratum motus tantum ab aliis factos, in cunis lectulis, aut vlnis non in vehiculis, aut navigio. Per ſe verò moveri, aut in vehiculo vehi tum primum pueris liceat, cum repere cæperint, magis cum incedere. Immature vero ingredi cogendi non ſunt, ne artꝰ eorũ pervertantur ſeptennes, aut majores, valentiores motꝰ ferunt: Quã minores & crudi ſenes, quã decrepiti. Similiter vt ætate ita natura robuſtis validiores, vehemẽtioreſque, exercitationes competunt, quam debilibus. Præterea naturæ frigidæ humidæ, potius exerceri debent, quã temperatæ & hæ magis quam calidæ ſiccæ: Nam frigidæ humidæ, corpora obeſa pinguiaque, quia magna ægent caloris accenſione celerem: Quia multa humorum diſcuſſione, longam multamque requirunt: Longior enim eſſe debet quam celerior ut craſſiora excrementa diſſolvat, nec

calorem immodice accendat. Contra calidæ, ſiccæ, bilioſæ graciles raræ, texturæ, paucam, brevem minuſque celerem, præcipuè calidiores, quæ longius à temperamento recedunt. His enim ſi in ocio degant breves minuſque celeres exercitatione ſuſcipere vtile eſt: Domique ſe continere ſi proprium ſibi ad vitæ fūctionē elegerint. Vel illa ſola exercitationū loco ſufficere poterit, quæ verò parum à temperamento recedunt, celeres breveſque poſtulant quia calor modice auctus pauca excrementa facile diſcutit, longior calidis noxia eſt quibus mordax calor, adeo vt fumoſa gignat excrementa, iis balneum ſalubre eſt. Quin etiam motus qui & exiguus & lentus ſit, multus autem & celer adverſiſſimus eſt. Ideo temperatis naturis moderata in celeritate, & longitudine exercitatio accommodata eſt. Cæterum qui propter certum vitæ genus exercitiis corporis vacare nequeunt: Aut in ocio vitam tranſigunt victu tenuiore ſint contenti; vt alimenta laboribus reſpondeant. Locus in quo exercitatio obeunda eſt temperatus eſſe debet: Nam calidiore ad ſudorem prius corpus ducetur quam rite diſponetur: Frigidiore verò nunquam prorſus incaleſcit, nec floridus color apparet, vel corpus intumeſcit, ideo vitandi ſunt

sunt venti australes, qui caput replent, & sensus hebetant, ac hyeme frigida tempestate, boreales qui thoraci partibusque exanguibus nocent, tusses catarrhosque concitant, &. Deindè exercitatio Cœlo placido sereno, spiritus humoresque attenuat, per halitus superflua evocat, animumque exhilarat: Nebuloso, pluvioso, capitis gravitatem sensuumque torporem adfert: Umbrosis verò facta locis sirio dominante, salubrior quam Sole vertices feriente. Verum enimvero quæ in domibus à terra elevatis, amplis tabulis stratis cæteris anteponenda, quod aerem puriorem habeant, vaporibusque terrestribus careant, atque excrementorum redundantium expulsionē promoveant. Sub humili autem tecto terraque caput mentemque degravat, & humorum digestionem impedit. Eadem est ratio ferè exercitiorum in pratis propter humiditatem, quæ in locis vento perflatis at respirationi maximè obest. Tandem exercitationes rusticanæ multo præstantiores, quam vrbanæ, ideo secessum ociumque rurale, priscis temporibus ad corpus, animumque recreandum, & valetudinem curandum in vsu fuisse compertum habemus. Quod luculenter declarant elegantes splendidæque villæ inter multas Varroniana linternina tusculana, &c. Nam

ut præcipit Divinus Plato. In timæo nec corpus, ſine animo, nec animus, ſine corpore exercendus. Ob quam cauſam apud Ciceronem inter Catulum & Craſſum manet dubitatio potiuſne tot porticus apud Græcos, exercitationis corporis inambulationiſque an ſtudiorum gratia fuerint conſtructæ.

Exercitatio quia digeſtioni alimentorum inſervit eo tempore obeunda non eſt quo minime confecta plurimoſque humores ventriculus primæque venæ continent. Periculum ſiquidem imminet ne priuſquam maturam concoctionem ſubeant in omnes partes rapiantur. Verum cum calorem adaugeat, meatus expurget, & excrementa evacuet: Inchoanda tum demum eſt cum quæcunque ventri vaſiſq; inſunt, optime fuerint elaborata. Ut jam denuo ſumendi cibum tempus inſtet: Quod pulchre expreſſit Hipp. 6. Epidem. Part. 4. Aphor. Ultimo his verbis labores cibos præcedant, & Gal. Lib. 2. de Sanit. Tuend. inquiens. Quoniam exiguos meatus expurgat, & excrementa expellit. Utilius eſt ante cibos exercitationem adhiberi; idque ratione ſane optima nam ſi à cibo corpus labore exagites crudis omnino implebis humoribus: Quod ab eodem confirmatur Lib. de cibis boni & mali ſucci dicente.

Quemad

Quemadmodum maximum bonum ad Sanitatis tutelam est, ante cibum exerceri, ita pernitiosissima res est omnis post cibum motio: Distribuitur enim cibus ex ventre antequam concoquatur horum temporum nota, est vrinæ color, nam diluta aquæ speciem præ se ferens, crudum adhuc in venis succum, rufa biliosaq; jamdudum in jecore concoctum indicat: Subflava modiceve pallida peractam modo secundum concoctionem demonstrat. Quia animadversa exercitatio ad eunda est, Sed deponenda prius alvi & vesicæ excrementa, ne quid ex his vi caloris, quem exercitatio accendit in corporis habitum pertrahitur hoc etiam memoriæ infigendum vbi fames est laborandum non esse, vt HIPP. 16. APHOR. 2. Præterea qui plethora, aut cacochinnia laborant, non nisi evacuato prius corpore exercitationes adeant; Nec quisquam à segniore vita, ad easdem se transferat: Nisi prius ab impuritatibus liberetur alioqui fluxionum morbis ilico tentatur: Quicquid enim in corpore concretum, & in humoribus crassum fuerit, aut modice frigidum, id statim funditur. Et in spiritum vertitur. Ob quam causam etiam vere, morbi ex plenitudine oriuntur, vt anginæ pleuritides, &c.

In vniversum plethoricis omnis exercitatio

violenta noxia est, metumque interceptionis, ruptionisque vasorum, apoplexiæ, & similium infert. Tandem rite præparato corpore exercendum est, debita mensura & quantitate tantisper nimirum, dum & corpus intumescæ color floridus appareat, & motus alacriter æquabiliterque edatur, ac vna sudore cum calido vapore mixtus cernatur. Quiescendum vero tum demum si in vno horum observetur mutatio.

Nam si post contractiorem corporis molem vlterius insistas, boni sicci nonnihil educitur. Atque ita corpus gracilius, aridius, & ad incrementum minus habile redditur: Simili quoque modo evanescente coloris gratia, aut remittente è motuum vigore, æqualitate concinnitateque, aut sudore frigidiore vel minore, si vltro prorogetur plus justo corpus exhauries, refrigerabis siccabisque, cum igitur quælibet dictarum notarum in conspectum venerit, protinus cessandum judicato. Adque etiam si respiratio ad valde magnam celeritatem densitatemque ascenderit remissa exercitationis summa. Intensione, veteres Apotherapia vsi sunt, quam exercitationis probe peractæ, partem vltimam appellarunt. Hujus duplex scopus fuit vnus communis etiam exercitiis solidarum partium, excre-

menta-

menta quæcunque attenuata, & calefacta, poſt exercitationem in habitu corporis adhuc manent, penitus exſtirpandi: Atque ita corpus tranſpirabile reddendi.

Alius proprius laſſitudinem quæ ſuccedere ſolet immodicis exercitionibus ſubmovendi. Perficitur iſta frictione muſculorumque intenſione & balneo. Frucitiones autem ſint præcipuè multæ, molles, celeres manibus cum copioſo oleo, quod non ſolum ad velocitatem ſimul, & mollitiem frictionis conducit; ſed etiam tenſionem adimit, & vehementem fatigationem remittit: Ob quam cauſam dura: Fructio in hoc caſu vitenda ſemper eſt. Quæ denſat cogitque. Nec etiam mollis ex vſu eſt potiſſimum vbi excrementa in carne latent: Siquidem vis ejus non alte penetrat; Sed circa cutem ipſam vicinaſque partes deficit: Nec quæ in anguſtis meatibuſque contenta ſunt elidit. Quare media inter duram, mollemque ab vtroque incommodo abeſt. Ea vero fit manibus quidem valenter injectis, vt earum impreſſio ad duram frictionem accedat: Sed olei copia, & velocitate eatenus remiſſis, vt mediocris plane evadat. Tendendæ ſunt dum fricantur partes, vt quicquid inter cutem, & ſubjectam carnem excrementorum reſidet; expellatur, quod fit primum ſpiritus reten-

tione, maximaque expiratione: Spiritus enim cohibitio ad Apotherapiam maxime idonea eſt: Quia tenſis omnibus thoracis muſculis, iiſque remiſſis, jecur lien & ventriculus attolluntur: Quæ ſub ſepto & abdomine ſunt excrementa promptius excernuntur. Calorque nativus augetur ad tendendos vero abdominis muſculos, parteſque ſub ſepto, veteres pedotribæ, & gymnaſtæ faſcias earumque circumactus adhibuerunt; Circa totum venerem, vna fricantes cum ipſi à tergo fricandorum conſtiterint: Alios cum à fronte conſiſtentes, faſciarum circum dorſum circumjectionibus vtuntur: Duabus manibus circumagentes: Alios autem coſtis, ſpina & pectori, idque converſo pariter cum his quodammodo eo qui fricatur, &c.

Ut copioſè docet GAL. 3. De SANIT. TUEND. CAP. 2. Tandem poſt exercitationes, frictioneſque recuratorias, veteres balneum quoque ingredi ſolebant præſertim quibus ſolidæ partes à laſſitudine non ſatis emollitæ vel excrementa ſub cute nondum ſufficienter expulſa fuerunt: Aut denique vt ſudores, pulverem, ſordeſque eluerent. Balneum autem tempeſtive in vſum deductum pars aliqua Apotherapiæ à GAL. CAP. 4. LIB. 3. De SANIT. TUEND. vocatur

à comm

commode ante adhibetur poſt exercitationes, frictioneſque recuratorias, ad partes ex laſſitudine adhuc tenſas duraſque emolliendas: Aut ad excrementa aliqua quæ cuti adhuc inhærent evocanda: Cui negocio inſervit balneum aquarum dulcium calefactarum, ſi mediæ ſit temperiei, mediocris quantitatis, oppertuneque adminiſtratum: Nam calefacit & humectat ſimulque per halitum excrementa digerit, partes implet, emollit ac robuſtiores efficit.

Verum de differentiis, & viribus balneorum peculiari CAP. tractabitur. Cæterum illa veterum tam artificioſa laborioſaq; exercendi ratio hodie in diſſuetudinem abiit. Plerique enim ſibi nunc non vivunt, & publicis privatiſque negotiis, ita diſtinentur, vt exercitii genus, aut horam rari, vel nunquam eligere quæant: Cæteris vero voluptatis, lucri, aut gloriæ potius quam Sanitatis gratia, ludos frequentant, ſeſeque intempeſtive, aut immodice plerumque exercent, nulla præmiſſa corporis præparatione, Balneorum quoque vſus paſſim fere in totum periit, aut non nunc vt olim, fuit. Conſultum tamen eſt omnibus qui vitam liberam agunt, & integra Sanitate frui deſideranr, quotidie tempus aliquod exercitiis concedere: Ac primum mane,

à ſomno manus faciemque frigida lavare, linteoq; aſpero detergere, os colluere denteſque purgare, hinc leviter deambulare: Et alvum ac veſicam exonerare, Caput frœquentius pectere, vt per poros, vapores facilius diffle ntur, ac interdum corpus molliter fricare, oculos quoque abluere ne ſordium adhærentium acumine afficiantur.

Poſt Exercitationem aliquam ſubire moderata quadam celeritate, donec reſpiratio in magnitudinem, & frœquentiam creſcat: Et ſudore calido totum corpus madeſcat. Hinc non niſi ſedata coporis perturbatione, menſæ accumbere, veſperi quoque ante cœnam exercitatione vtantur. Sed moderatiore, quam mane, & plerumque deambulatione, paulo celeriore. Equitatione aliave validiore pro conſuetudine. Verum a prandio & cœna per horam quieſcant. Deinde mollibus paſſibus incedant: Ut ad fundum ventriculi cibus delabatur, non nimia concuſſione corporis terqueant: Quæ concoctionem & diſtributionem perturbat. Verum ſi ad laborem aliquem neceſſitas impellat profuerit lente inchoare paulatimque procedere. Obæſi autem qui graciles fieri cupiunt labores omnes jejuni ſubibunt. Polybus teſte GAL. LIB. De Ratione victus hos ſuſpirantes, & non ſatis erfrigeratos

refrigeratos cibum ſumere jubet: Quod a GAL. non vſquequaque probatur: Quippe ſe noviſſe ſcribit pleriſque hac victus ratione factas viſcerum obſtructiones. Vitandæ ſunt Plethoricis vt diximus, ac Cacochymicis exercitationes violentæ, niſi prius fuerit purgatum corpus. Qui vero ſanus eſt, ſed non ſuæ ſpontis, ſive quem interdiu domeſtica, vel civilia officia impediunt exercitiis tempus aliquod, occaſione arrepta, concedere debet, vt excrementa diſcutiantur, aut ſi multa ſint eorumdem evacuatio medicamentis procuretur. Verum qui integra Sanitate nullatenus fruuntur, quia indigent correctione, non modo exercitatio, ſed etiam tota victus ratio, eo dirigenda eſt vt quam promptiſſime Sanitati reſtituatmus.

Obſervandum tamen vt exercitationibus ſemper interponatur ceſſatio, ſeu quies ad virium reparationem, & Alimentorum meliorem concoctionem, ſed vt præcipit CELSUS, CAP. 3. LIB. 1. Subita & violenta laboris, quietiſque, non debet eſſe mutatio ſicut ex otio deſidioſo, ac multo in laborem multum, vitamque negotioſam, diſcendas: Contrave ex jugi fatigatione, aut vita negotioſa ſtatim ocium quæras, ſiquidem conſuetudinis omnis hæc natura eſt; vt pedetentim

& viribus adhuc integris, vel propemodum integris, mutari velit quod si secus facias periculum adibis Sanitatis: Unde Hipp. Lib. De victus ratione in morbis acutis etenim si totum corpus præter solitum multum quieverit non confestim robustius evadit, si vero ex diuturno ocio repente se ad labores contulerit, manifestum quoddam vitium efficiet: Eodem etiam modo de singulis corporis partibus existimandum nam & pedes tale quiddam efficient, & reliqui articuli laborare non assueti.

De

De Balneis artificialibus, atque eorum Aquarumque Medicatarum vsu. Cap. 13.

ETsi Inter alia multa quibus Sanitatis atque voluptatis gratia veteres in deliciis habuerunt Balneorum apparatus à multis jam annis passim ferè interciderit. Quia tamen Balnea non solum post, sed etiam citra omnem Exercitationem, tam Sanis quam ægris, frequentissime ob singulares commoditates inserviunt: Et peculiariter etiam inter præsidia Diaphoretica locum habent. Ideo consultum esse putavi de iis hoc capite tractare vbi propositum non est veterum Græcorum, & Romanorum sumptuosa magnificaq; ædificia, frigidaria vnctuaria, hypocausta sudatoria, aut lavacra pluribus explicare. Sed quæ facilia paratu hodierno vsui accommodata poterunt esse, declarare: Et primum Balneorum differentias deinde vires.

Nomen habet Balneum teſte SUIDA à balanis quibus olim veſcebantur, & ex eorum corticibus ignis conficiebatur: Nam non modo humido, ſed etiam ſicco Balneo ex furni æſtu vtebantur. Veteres ex omnibus remediis quæ corpori adhibentur extrinſecus ad Sanitatem conſervandam, & amiſſam reparandam latiſſime patent: Primumque locum obtinent Balnea: Nam ſunt præſidia toti corpori communia, deinde iiſdem vniverſum corpus nudum ſubmergitur, tegiturque, non ſolum ad ſudores movendos, & excrementa, in habitu corporis evacuanda, ſed etiam ad cutem parteſque illi ſubjectas alterandas, confortandas, & calorem nativum contemperandum.

Balneorum complura ſunt genera quorum præcipua ſumuntur à cauſa efficiente, materiali, ac finali. Deinde à qualitate, & quantitate. Ac primum ratione cauſæ efficientis, Balnea alia naturalia dicuntur, quia per ſe ſponteqne ſua proveniunt, ſive ex terra ſcaturiunt: Qualia ſunt quæ à calefaciendi facultate thermæ proprie fonteſque medicati vocantur. Alia artificialia quæ arte parantur. Reſpectu cauſæ materialis juxta veteres, licet Balnea ſimpliciter dicta, initio ex aqua dulci corpori circumfuſa tantum conſtarent: Uſus tamen

obtinuit

obtinuit vt non ſolum balnea dicerentur illa quæ ex liquore aliquo aut vapore, ſed etiam quæ ex ſolidis nonnullis ſubſtantiis conficiuntur: Ideo ratione materiæ ex qua & in qua fiunt triplex eſt differentia alia enim iquida ſunt, quæ plerumque ſolia lavacra, & labra vocitantur: Nam ſolum nil aliud eſt quam ciſterna, piſsina aut cupa, ſive vas patulum, aqua aliove liquore ferè plenum, in quo homines ſedentes, lavabantur: Liquor ille maxima ex parte eſt aqua vel dulcis, vel medicata ex fontibus aluminoſis, bituminoſis, introſis, ſulphuriis vitriolatis ferriis, &c. Vel ex aqua præparata juxta corporis affecti naturam, per herbarum aliorumque decoctionem aut infuſionem aliquando loco aquæ concinnantur ex lacte oleo, vino, &c. Deinde alia ſunt aeria, aut vaporoſa quod eo vtentes in aere verſantur. Undique calido concluſo aut circumvallato, & vel calido, ſimul & ſicco quem celeſaciunt vapores ſicci per furnum, ab igne æſtu candentem: Vel calido humido ex vapore humido aquæ, vel herbarum aut aliorum in vaſe decoctorum: Aut à candentibus igneiſque lapidibus, aqua perfuſis: Vel ex aquis calidis, ſponte naſcentibus; ſive thermis hoc Balnei genus. Quia ad movendos ſudores,

apud Lacones fræquens erat: Laconicum & ſudatorum appellatur.

Peculiariter vero Balneum, quod ex vaporibus ab igne per furnum, ſiccamve teſtudinem, aut fornicem delatis, incaleſcit. Hypocauſtum, & interdum ſicca teſtudo à GAL. nuncupatur vulgo ſtuffa nam vt hodie in Balneis germanicis; ita olim apud veteres Balnea, locum in ſe recurvum, ſive fornicem, concameratum habuerunt in quo ſuccenſus ignis, ſiccos vapores ad ſudores proliciendos fundebat. Defectu hypocauſtorum, poſſumus Laconica ex vapore calido, humido, parare ſi cupæ, cujus lateribus, orbis ligneus affixus eſt, ſuppoſita ferrea lamina candentes filices imponantur, linteaque ſupra in ducantur, quibus cohibeatur tum caloris egreſſus. Laconica quoque calida humida non raro hodie fiunt ex ſilicibus arentibus, aqua perfuſis, vel eidem immiſſis, vel ex decocto convenienti in caldario tecto, ſi ab ore ejus fiſtula in cupam producatur, pro vaporibus, linteis coæperta, impleatur.

Præterea ratione materiæ, quædam Balnea ſunt in ſicca ſolida ſubſtantia, qualis eſt ſal, vinacia, quæ minus proprie Balnea dicuntur, nec olim, ita vulgata fuerunt: Sed ægris poſſimum aptata. Reſpectu finis effectuſque

Balnea,

Balnea, aut ſunt ſudatoria, vt laconica, aut ſordes cutis detergentia, aut cutem & ſubjectas partes alterantia. Nimirum calefacientia, refrigerantia, humectantia, emollientia relaxantia indurantia.

Deinde hæc omnia diſtinguntur pro qualitate materiæ, in calidaria quæ in aqua, aliave re moderate calida fiunt frigidaria, quæ in frigida & tepedaria quæ in aqua aut aere tepedo. Differunt etiam proquantitate, & temporis mora in ipſis. Unde Balneum omne vel breve, vel longum largumve, vel moderatum ex Balneis arte paratis apud veteres teſte GAL. LIB. 10. CAP. 10. METHOD. MED. Quatuor in vſu fuerunt, ſive quatuor erant Balneorum publicorum partęs vna ſudatorium ſive laconicum; Secunda ſolium calidum: Tertia ſolium frigidum: Quarta locus detergendo & exſiccando corpori deſtinatus: Additur his interdum quinta quæ à veſtibus exuendis ἀπόδυτηριον appellatur Latinis tepidarium: Quia hic Balneaturi primum ſe exuebant, & poſtea ad laconicum recta pergebant. Verum iſta veterum Balneandi forma & conſuetudo in multis EUROPAE regionibus plane exolevit: Reperiuntur tamen in GERMANIA, POLONIA, aliiſque nonnullis locis, & Balnea publica & privata;

ſed quæ antiquorum ex aliqua parte tantum referunt: Habent enim vt veteres laconicum in quo abunde ſudant: Sed plerumque ſine tepidario, pro veſtibus exuendis: Et in laconico ſemper labra ſive ſolia, ſed calida non frigida, quæ vſitata non erant: Niſi tempore æſtivo, in fluminibus aut mari: Deinde plerique ratius Balnea fræquentant, nec eandem formam & modum quem veteres obſervant.

His definitis conſequens eſt vt de viribus ſingulorum in ſpecie agamus; Initio facto à Balneis aeriis, ſive laconicis quæ ſunt prædita facultate culefaciendi, humores concretos liquandi æqualiterque fundendi cutem laxandi, poros aperiendi & quæ ſub cute detinentur evacuandi ideo per ſe proprie ſudores, deinde vrinas movent: Quæ ex vapore humido fiunt plus humectant, quæ ex ſicco, exſiccant humoreſque efficacius colliquant, & diffundunt atque eo vehementius quo calidior ſiccioreque ſubſtantia fuerit, vnde vapor aut fumus prodit: Quare vapor aut fumus ex ſulphure, bitumine, myrrha ſtorace, aut aromatibus miro quodam modo corpora permeat, humoreſque attenuat.

Evacuant quidem laconica per ſe, quod ſubeſt cuti ac ſucceſſione adid quod educitur tertiam corporis regionem, raro ſecundum

rarefacta

ratefacta antem cute, & expurgatis quæ ſub ea ſunt excrementis veteres ad ſecundam Balnei partem, nimirum ſolium progreſſi ſunt. Ut partibus ſolidis mador induceretur: Differunt autem ſolia pro qualitate aquarum, quæ ſunt vel calidæ, vel frigidæ, & calidæ vel intenſæ, & ferventiores quæ licet corpora non adurant, calorem nativum longè ſuperant: Vel moderate temperateque calidæ quæ calorem naturalem non multum excedunt: Vel tepidæ quæ in eodem gradu, aut potius infra ſubſiſtunt.

Balnea omnia aquarum dulcium per ſe humectant niſi aquæ. Vehementer calidæ aut frigidæ fuerint. Si juſto calidiores, calefaciunt quidem, ſed non perinde humectant: Quippe horrere corpora, contrahique meatus illorum cogunt; ita vt nec externo humore perfrui, nec excrementi quod intus eſt quicquam emittere queant: Si tepidæ refrigerant ſimul & madorem inducunt. Si moderate calidæ, per ſe calefaciunt, & humectant, ſecundario autem ex accidente aliquo ſuperflua per halitus digerunt: Extenuatos replent; humore benigno membra perfundunt, contemperant, dura atque tenſa emolliunt, fatigationem diſcutiunt. Dolores mitigant concoctionem juvant ſomnum conciliant, &c.

Verum ad hos affectus determinandos, non parum confert, aquæ quantitas in Balneo, & temporis mora. Nam Balneum moderate calidum, ſimul & mediocris quantitatis, prædicta omnia commodè præſtat: Quia trahendi vim ob caliditatem, non autem reſolvendi ob mediocrem quantitatem poſſidet, quo fit vt humores fundat, particulas ſupervacanea fluxione repleat, corpus augeat, &c.

Verum Balneum calidum, breveque infra hunc modum ſubſiſtit, largum excedit. Ideo principio quædem relaxat, & emollit, at proceſſu temporis reſolvit. Quare diuturnior mora in calido Balneo humido, partes præter natnram exſiccat, ſiccas humectat, ac humiditate viſcerum exhauſta, & ad partes exteriores exſiccatas attracta, ſpiritibuſq; diſſipatis, virium debilitatem atque animi deliquium plerumque inducit. Balneum calidum vehementer, ſi moderatæ ſit quantitatis, cutem & ſubjectam carnem ſtringit, & exſiccat, ſi breve tantnm, vires ejus cutem non excedunt: Si largum non ſolum carnem impenſius exſiccat, ſed etiam ob plurimam caloris nativi exhalationem refrigerat. Quare Balnea moderate calida mediocri tempore Sanis temperatiſque conveniunt, naturis vero ſiccis, calidis, & ſqualidis, quarum calor mordax eſt item

vehement

vehementibus ſolis aduſtionibus, hecticis, ſiccaque febre laborantibus, ſitientibus, paulo tepediora debentur: Nam ſæpè non ſudoris aut corporis evacuandi cauſa, ad Balneum accedimus: Sed humectandi, & quod immoderatius exſiccatum eſt irrigandi: Aut calorem contemperandi deinde aqua moderate calida gracilibus extenuatis ad pleniorem habitum reducendis inſernit diutius in Balneo manendum non eſt: Sed tantiſper, donec partes intumeſcant: Obæſi vero vt corpus extenuetur, tamdiu detineantur donec tumor à balneo cõtractus, ſubſideat materiaque attracta diſcutiatur. Quod eo facilius fit, ſi Balneum conſtet aquis calidis ſponte naſcentibus: aut decoctoherbarum, diſſolvendi & attenuandi facultatẽ habentium. Poſt ſolium calidum veteres ad tertiam Balnei partem ſolium nimirũ aquæ frigidæ acceſſerunt. Ubi quæ excalefacta fuerant refrigerarunt. Quæ plus æquo laxata aut rarefacta ad mediocritatem reduxerunt, viaſq; partium corroborarunt. Nam aqua gelidatefrigerat, ſimulque meatus conſtipat, denſam & duram cutem reddit, torum corpus confirmat, nativum calorem ad interiora revocat.

Ideo appetitum excitat, concoctiones juvat, ſitim ſedat, atque maximum eſt præſi-

dium, contra cauſas externas, ſi moderate tempeſtiveque in vſum trahatur verum Sanis ægriſque omnibus non covenit: Sed præcipuè juvenibus, robuſtis carnoſis, aſſuetis, qui inculpate vivunt, bene concoquunt ſomno indulgent, ſeſeque exercent, calido potiſſimum tempore: Nam ſenes, pueri, & qui probam victus rationem, & exercitia negligunt, non bene dormiunt aut βραδυπεψια laborant: Vel cruditatibus, obſtructionibus, conſtipationibus, ſæpenumero tentati, & acribus fuliginibus repleti, à frigida lavatione penitus debent abſtinere, potiſſimum frigido cœlo. Aſſueti frigida lavare, licet debiles facilius ferunt ac quamdiu creſcunt ab ea caveant, ne corporis incrementum remoretur: At in optimè conſtitutis licet. Ut membra roborentur & cutis dura, denſaque reddatur: Ita tamen vt ſe paulatim aſſuefaciant.

Ideoque primum modice frigidam, non cunctanter ſed celeriter, ſequentibus verò diebus ad frigidiorem accedant: Præmiſſa ſemper frictione, ac tandem lotione finita, oleo fricentur donec incaleſcant. Quamdiu vero ſit immorandum, quotidiana percipitur experietia: Nam ſi Balneo egreſſi, ex frictionibus cutis calidior colorem floridum, cito contrahat moderatum temporis ſpatium: Contrarium

trarium vero immodicum declarat, Lavacrum frigidum habitum corporis meliorem, compactiorem, & robuſtiorem efficit; Sanos, beneque valentes, à ſolio calido ad frigidum, veteres plerumque deduxerant: Sed non debiles, & infirmos: Ne ſubita ad frigidum commutatione lederentur.

Ideo vel aqua ſola tepida perfuderunt, vel ſolium tepidum ingredi moverunt: Ut corpus rarefactum, relaxatumque, ſenſim cogi & conſtringi poſſet: Frigiditatem autem, aqua calida admiſta contemperarunt, pro corporis natura, ætate conſuetudine, & aeris conſtitutione. Quidam poſt lavacrum calidum, tres aquas tepidas inter ſe diſtantes, pararunt, quarum vna erat tepida abunde, ſecunda, minus quam prima, tertia magis ad frigidam vergens vt à calida, ad frigidam paulatim acceſſio fieret: Ne ſubita in contrarium mutatio noceret, Poſt lavacrum frigidum, veteres ad vltimam Balnei partem, progreſſi ſunt, corporis nimirum deterſionem pro qua non modo ſolio tepido, vel aſperſione aquæ tepidæ uſi ſunt: Sed etiam ſtrigili, & medicamentis cutem abſtergentibus, & expurgantibus: Ægros tamen niſi ſordidos, aut pruritu vexatos à Balneo, aqua, citra laborem, tandem perfuderunt. Atque hunc Balneandi morem veteres

obſervarum. Cæterum noſtro tempore Balneorum non ita fræquens eſt vſus, vt olim: Nam cum pauciſſimi ſunt qui ſibi vivere poſſint, quacunque juſta oblata occaſione, ab iis deſiſtere coguntur: Quam mutationem aſſueti moleſtiſſime ferunt. Invaſit ſuperiori ſæculo multos, lues venerea, veteribus incognita quæ Balnea publica, pluribus in locis ſuſtulit.

Nihilominus non tantum Sanis ſed & ægris non raro conferunt. Tempus vtendi ſit poſt Alimentorum concoctionem, in ventriculo primiſque venis, non ab aſſumpto cibo, aut potu, ne inconcoctus in venas pertrahatur. Prius etiam alvi, & veſicæ excrementa debent evacuari: Nam ſi non expurgata prima, & ſecunda corporis regione, adhibeatur; neceſſe erit humores redundantes, in habitum corporis derivari, & partes affectas fluxione tentari. Cavendum itaque ne crudorum excrementorum, nec acrium, mordacium, humorum proventus, magnus in corpore ſit. Nam pauci a Balnei calore facilè diſſolvuntur, multi vero imprimis acres, fuſi, & per ſenſiles partes delati eaſdem concutiunt.

Ideo qui talibus abundant ſtatim ab ingreſſu horrent. A Balneo arcendi ſunt immodicis ſanguinis profuſionibus, faſtidio, & vomitui obnoxii

obnoxii nec-non quibus os ventriculi à bile moleſtia afficitur. Periculum enim imminet ne repente animo deficiant & tandem ſyncope cardiaca intereant.

SANI Poſt Alimentorum concoctionem, corporiſque evacuationem, præmiſſa levi exercitatione, Balneum ingrediantur: Ubi tamdui commorentur, donec non amplius delectationem perſenſerint. Et primum in Laconico, ſudor eliciatur, corpus molliter, leviterque fricetur: Addito interdum oleo dulci. Deinde in ſolium aquæ calidæ, ducantur, gracilibus brevius donec cutis intumeſcat craſſioribus, vero & pinguioribus, donec tumor à Balneo contractus ſubſideat, longius tempus requiritur. Poſt linteis amicti ad lectum ſe conferant: Ubi iterum ſudare ſimulque, dormire poterunt, nam ſomnus ab exercitiis, evacuat, exſiccat, & extenuat, vt multum obæſis & pinguibus conferat. Tandem ſudor detergatur, & ſi viſum fuerit, corpus oleo quoque illinatur, in hecticis, pthiſicis aliiſque valde extenuatis, ſudorem penitus vitabis. Et poſt Balneum, aquæ dulcis tepidæ, ſi vires ferant, in modice frigidam merges & protinus eductos, oleo violarum aut amygdal. dul. inunges. Talibus etiam convenit Balneum lactis quia partes arefactas humectat calorem febri-

lem, si quis est citra vllam corporis resolutionem contemperat, & nativum suo tempore fovet idem ferè præstat teste GAL. 2. SIMPL. CAP. 25. Balneum ex aqua & oleo dulci. Balnea vero ex oleo tepido vires propemodum aquarum dulcium obtinent, præcipuè si sit recens, & maturum quod facultatem habet modice calefaciendi, & humectandi: Immaturum verò adstrictionis & frigiditatis est particeps at vetus, calidius & discussorium est, quare Balneum olei dulcis partes siccas, & squalentes humectat, tensas laxat induratas, emollit constrictas & corrugatas lenit, dolores mitigat, temperata quadam vi resolvit, & supervacanea digerit. Ideo maximè nephriticis, colicis, arthriticis doloribus, convulsionibus & qui lassitudine fatigati sunt confert.

BALNEA ex Vino calido calefaciunt, & discutiunt: Sed magis minusve pro Vini natura & ætate: Peculiariter vero Vina subausteta, quia nonnihil adstrictionis obtinent, ils prosunt quibus calefacere, resolvere, ac simul robur parti addere opus est. Parantur in varios vsus Balnea artificialia, ex decocto herbarum aliorumque simplicium medicamentorum, in aqua, addito interdum Vino, aliove liquore, veluti ad partes sine inflammatione tensas

tenſas calefaciendas, & relaxandas: Ex decocto Origani thymi pulegii Roſmarini, Anethi, Hyſſop. Fol. Lauri, chamepiteos flor. Cammomillæ, aut aliis ejus generis.

Verum ad partes ab inflammatione duras emolliendas, ex decocto Fol. & Rad. Molvæ, Althea, Violariæ Sem. Lim. Fœnogræci ad fluxiones ſiſtendas, initio inflammationis, ex decocto Plantiginis, Roſ. Poligoni conſolidæ. Balauſtiorum, corticum Granatorum, ad digerendum, humorem abſorbendum, corpus pinguè extenuandum & partem tumefactam contrahendam, ex aqua marina, muria, lixivio, aut decocto baccarum lauri, juniperi, rutæ, artemiſiæ, &c. Injecto ſale, nitro alumine, ſulphure, & ſimilibus. Atque ita invarios effectus diverſa poſſunt Balnea parari, modo ea ſimplicia adhibeantur: Quæ & affectum & partem affectam reſpiciunt. In vſus ægrorum, ac neutrorum corporum, conficiuntur à medicis Balnea quoque ex ſolidis nonnullis ſubſtantiis, vt diximus nam pro cacochymicis, hydropicis, aſthmaticis, ſpleneticis, iſchiadicis, podagricis, ad humores exſiccandos, & abſorbendos, præcipiunt non raro, totum corpus arena maritima, aut fluviali, ſale admixto. Sub ſole fervido, aut in æſtuario ficco contegendum. Verum vbi ſi-

ne morſu exſiccare convenit operepretium erit vt in locum arenæ aut ſalis triticum, avena, aut milium torrefactum veniant. Idem putantur moderatius præſtare Balnea, ex vinaceis uvarum dulcium, poſt fervorem, ſua ſponte contractum: Nam moderate calefaciunt, concretos humores fundunt, diſſolvunt & propter aſtrictionem, quæ acinis ineſt, robur partibus addunt.

Tandem Balnea naturalia, ex aquis medicatis mixtas, & aſcititias vires obtinent. Nam licet aqua ſua natura frigida, humida ſit, quia tamen intra terræ viſcera, & cavitates, à mineralibus metallis illorumque ſpiritibus: Quorum tincturam recipit, varie inficitur, & alteratur: Ideo à ſua natura plurimum diſcedit, & vires qualitateſque extraneas ſuſcipit: Ut interdum actu fervida ſit, aliquando temperate calida, aut tepida: Sæpe frigida, calida autem redditur: Quia in terræ meatibus, vbi gignitur, aut per quos fluit calorem concipit, ex ſpiritu ſicco ibidem accenſo, in materia competenti, qualis plerumque ſulphuria, bituminoſa, aut nitroſa quo vero aquæ origo, ductuſque, ab hoc ignis foco, longius abeſt, eo frigidior eſt. Quo propius accedit, eo calidior. Verum aquæ ex fontibus iſtis, mitiores vires habent, quam ipſa mineralia, & metallica

lica tum ob aquæ miſtionem, quæ facultates eorum retundit: Tum ob mineralium combuſtionem, aut varias alterationes ſpirituumque conjunctiones. Attamen miras habent facultates ad morbos arcendos: Et meliores interdum quam ipſa mineralia: Sed frigidæ minus efficaces quam calidæ, juvant duplici ratione. Balneo, ſcilicet & Potu, aliquæ etiam vapore, & luto omnes facultatem ſiccandi habent. Ideo humidis naturis, & affectibus maxime conveniunt. Verum nonnullæ ſumul calefaciunt & exſiccant vt ſulphuriæ, nitroſæ, ſalſuginoſæ, bituminoſæ; aliquæ ſiccant, & refrigerant, vt ferreæ, cæteræque ex metellis excepto ære. In ſpecie ſalſæ, & introſæ humores ſiccant, attenuant, diſcutiunt, detergunt, & ad partes externas trahunt: Quocirca capiti, thoraci, fluxione tentato, ventriculo humido, hydropi aliiſque morbis, ex pituita natis prodeſſe conſtat verum veſicæ noxiæ ſunt.

Aluminoſæ calefaciunt vehementer exſiccant, & adſtringunt, idcirco ſanguinis rejectioni, nimiis aut intempeſtivis, menſtruorum aut hemorhoidum profluviis immodiciſq; ſudoribus conferunt. Nec non ventriculo vomiturienti tibiarum oedematis, varicibus ulceribus fluentibus, levamen præſtant quin-

etiam iis quæ fræquenter sine manifesta causa abortiunt, quod siccando, & adstringendo, non mediocre robur adferant: Sulphuriæ calefaciunt, exsiccant, attrahunt, aperiunt, resolvunt: Quare nervos tensione induratos, emolliunt, & laxos, nimia humiditate firmant: Ob digerentem facultatem, spleni indurato, & hepati, conveniunt: Coxendicis doloribus, pruritui, scabiei, lepræ, vitiligini, vlceribus telephiis, suppetias ferunt, &c.

Verum stomachum debilitant, & subvertunt. Bituminosæ, calefaciunt progressu temporis emolliunt: Et discutiunt. Proinde articulis, & frigidis vteri, intestinorum, vesicæque, affectibus subsidium præstant. Verum caput replent, & sensuum organa pervertunt. Chalcantosæ, seu vitriolatæ, incidunt, abstergunt obstructiones viscerum aperiunt, nephriticis prosunt, &c. Aquæ matellorum venis infectæ, eorum vires imbibunt; ideo ferreæ lieni schirroso, & obstructo, renibus & jecori æstuantibus; nec-non imbecillo ventriculo subveniunt. Æreæ ori, tonsillis præcipue vero oculis affectis, succurrunt. Cupreæ articulorum doloribus, nephriticis, vlceribus malignis, auxilio sunt. Plumbeæ eadem vi præcellunt, quam plumbum. Itidem argenteæ & quæ ex argento vivo, auripigmento, creta gypso qua ipsarum

ipsarum Authores. Ex his facilè erit percipere, facultates illarum aquarum quæ ex mixtis constant; nam vincentis qualitatis ratione præcipuè agunt: Veluti thermæ, quibus est copiosus spiritus sulphuris, modicus nitri & aluminis, ob sulphuris copiam attrahunt, resolvunt, humores colliquant: Ob nitrum attenuant, ad partes externas ducunt & propter alumen, in quibus humores fusi astrictionem aliquam relinquunt, nec ventriculum offendunt.

Similiter fontes acidi quibus plurimum ferri, minus vitrioli, minimum nitri inest. Ob copiam ferri, imbecilli ventriculo, & visceribus visua adstringente, magnum adjumentum exhibent, sed ob vitriolum cum nitro, magis calefaciunt: Validius incidunt, & obstructiones viscerum melius apariunt. Eadem ratio est in cæteris.

De

De re Venerea, Cap. 14.

EPICURUS Teſte GAL. LIB. ARTIS MED. CAP. 86. & 3. EPIDEM. COM. 1. DIST. 4. Rerum Venearum nullum eſſe ſalubrem vſum cenſuit: Et præclare agi, ſi non officiat: DEMOCRITUS concubitum, pasvam epilepſiam ſtatuit. Videtur enim voluiſſe, in Venere præter naturam, corpus vniverſum quaſſari, & ex plurima ſpirituum reſolutione, debilitari imprimiſque arcem ſapientiæ, mirum in modum labefactari.

Ideo Poetæ Muſas & MINERVAM Virgines eſſe finxere, quod ratione ingenioque coitus adverſetur. His aſſentitur PYTHAGORAS qui cum rogatus eſſet ecquando congrediendum cum fœmina foret, cum vis inquit reipſo fieri debilior. Verum ſi quid probabilitatis habeat opinio hæc, ad ægros, & valetudinarios imprimus, aut Sanos qui immoderatius, ea delectantur, ſpectare videtur. Nam conſtat rectum, & opportunum vſum, multis

multis ſalutarem fuiſſe: Et ipſa etiam animalia bruta quamvis cognitione deſtituantur, natura ad venerem proritari, vnde VIRG. eliganter 3. GEORG.

Omne adeo genus in terris hominumque, ferarumq;
Et genus equorum, pecudes, pictæque volucres,
In furias ignemque ruunt, amor omnibus idem.

Similiter Authore GAL. 6. De Locis Affectis, CAP. 5. Viri alioquin continentiſſimi non ob voluptatum illecebras: Sed vt ab impedimento liberarentur. Atque à majoribus malis præſervarentur, libidini indulgent. Perinde ac ſi iis nulla eſſet voluptas conjuncta: Et haud aliter ac ſi ad alvi dejectionem vrinæque excretionem, ſuapte natura moverentur.

Nam cum ſemen nil aliud ſit, quam excrementum vtile in teſtibus elaboratum, ex reſiduo vltimi Alimenti, gratia procreationis: Si in vaſis exuberet, diutiuſque maneat, natura ad excretionem incitatur: Qua impedita, corrumpi, in venenum mutari, atque ſæviſſima ſymptomata oboriri neceſſe eſt. Quod viduis, aliiſque, qui præter morem, nimium ſunt continentes, accidere ſolet, quemadmodum fœminæ poſt pubertatis Annos dum non concipiunt, ſupervacaneum ſanguinem per

vterum evacuant. Ita etiam cum iis mares partem illam benignioris Alimenti à toto proſabentis quæ generationi deſtinatur, & in teſtibus vaſiſque ſpermaticis in ſemen fœcundum tranſmutatur, ſtato tempore excernere quoque tenentur. Uberius, rariuſque, prout deficit, vel redundat.

Verum interim requiritur vſus, cujus defectu cum materia ex qua fit ſemen in alias partes tranſmittatur, receptacula ſpermatica arefcunt, membra genitalia neglecto munere torpeſcunt. Nam vt in aliis, ita & in his etiam exercitatio roborat: Atque auget; quies debilitat, & extenuat. Sed moderata debet eſſe exercitatio, quæ non ſolum propagando generi humano inſervit; Sed etiam plenitudinem exhaurit, calorem nativum languentem refocillat, corpus agile magiſque virile reddit, collapſas vires cordis reſtituit, vapores inutiles diſcutit, mentem ſenſuſque recreat lætitiam conciliat, triſtitiam ac furorem mitigat, genitos ex petuita morbos perſanat nonnulli etiam capitis gravitate atque doloribus clamoſis oppreſſi, complexu venereo priſtinæ valetudini fuere reſtituti. Aliqui cibum averſantes, ægre ſpirantes, non pauci continuis pollutionibus nocturnis inquinati, eodem liberantur. Immoderata vero calorem nativum & ſpiritus diſſolvit.

dissolvit. Ideo corpus exundante pituita refrigerat, oculorum aciem offuscat, articulos enervat, intelligendi vim perturbat, visus hebitudinem, aurium tinnitum, tremorem, stuporem, paralysin, oblivionem & id genus alios affectus inducit. Quin & gonorrhæam neopolitanam, seu GALLICAM quæ licet in coitu plerumque contrahatur non tamen ex immoderato simpliciter producitur. Sed ex contagione tantum ab vno hoc malo prius infecto cõmunicatur. Immodicus vero non aque fœminas atque mares lædit nam quia minimum impendit mulier, minus molestiæ in concubitu accedit. At vehementiores sunt virorum labores, & maxime secundum limbos, ex quibus malum GERMANIS penitus incognitum, BRITANNIS vero pernitiosum.

Quod HIPP. LIB. 2. De Morbis tabem dorsalem nuncupat: Quoniam cum corporis colliquatione conjuncta est impotientia erigendi dorsum, Familiaris enim est novis maritis, Et incontinentibus ab immodica venere relaxante corporis habitum, & vires omnium partium debilitante, præcipue vasorum spermaticorum, ventriculi cerebri, spinæ nervorum. Vasorum quidem vt semen involuntarie frequenter emittant: Ventriculi vero vt

cibos non appetat: Nec probe conficiat, interdum non retineat, & alvi nonnunquam fluxus pariat, sensus motusque munera impediat, catarrhos in spinam vt eam erigere, nequeant atque alias in partes concitet. Per se quidem coitus semper plenitudinem exhaurit, per accidens ratione motus, initio calefacit, post modum ob multam spirituum dissipationem, calorem nativum viresque debilitat: Corpus refrigerat & propter evacuationem humorum, exsiccat.

Verum quia languente calore nativo, instrumento, & adminiculo naturæ, corpus multis excrementis humidis repletur. Ideo præter naturam humectare morbosque frigidos procreare dicitur, Finis veneris maximè proprius est, liberorum procreatio: Aut Sanitatis conservatio improprius, & potius abusus, sola voluptas quæ tantum libidinis explendæ gratia instituitur, nulla ratione ducitur; Sed vt in brutis cæca cupiditate regitur: Ideo inter morum vitia reponitur. At quæ ob sobolem, aut Sanitatem fit, concilio dirigi, & in ea mediocritate subsistere debet, quam cujusque naturæ conditio postulat.

Nos hic non de omni veneris vsu, sed de eo potissimum dicemus qui corporis Sanitati conducit: Et vt quis legitimus sit intelligatur.

Primo

Primo omnium considerandum qua ætate, quibusque naturis conveniat: Secundo quo tempore: Tertio quantum & quousque: Quarto quomodo veneri sit indulgendum, non omnis ætas coitui accommodata est cum enim semen sit, ex reliquiis Alimenti, inservientis nutritioni partium, Ideo in quibus nil redundat idonea esse nequit. Nec etiam in corporibus crescentibus: Siquidem Alimentum subtrahit ad incrementum membrorum destinatum: Deinde in pueris omnibus & adolescentibus ante decimum quartum, aut decimum quintum annum, & in puellis ante pubertatem semen nondum perfectum est: Ideoque si quando venere vtantur, aqua potius quam semen plerumque excernitur; Et si quid aliud cum molestia, & dolore ejicitur.

Senibus quoque inepta est, quia ob evacuationem spirituum, cum semine corpus quod sua natura egelidum est, ad majorem frigiditatem, & siccitatem perducitur: Unde mox via ad mortem faciliorem, & celeriorem patet, nam principem habemus apud ARABES Authorem quadragies tantundem mitti de corpore sanguinis æque innoxiè posse quam seminis, effundi immo longè nocentius seminis. Quare illa maximè ætas in veneris castris versari tenetur, quæ incipit post pu-

bertatem, seu circa incrementi finem, & ad senectutis initium desinit. Finis autem accretionis in masculis est, plerumque circa Annum decimum octavum, aut decimum nonum: Sæpius Anno vicesimo, aut vicesimo primo, in puellis quæ citius ad acmen perveniunt. Post Annum decimum quartum. In vtrisque quando ex redundante Alimento vltra nutritionem, extensionemque membrorum in testibus semen generatur.

Nam cum testes vires suas maximè exerant, & corpus vniversum caliditate multa perfundant; Masculus ille vigor inducitur, ac ex adustis vaporibus sublatis sursum, ad faciem: Et pubem expulsis, pili primum hac deinde in illa à remissiore calore in famellis, plerisque pili tantum in pube, qui cùm prorumpunt pubertas est, qua transacta, maximè salutaris venus: Licet puellæ nonnullæ coeant & concipiant ante duodecimum Annum, quibus natura robusta, est & menstrua fluunt atque malitia vt in proverbio est ætatem supplet.

Nihilominus vt præclare ARIST. CAP. 16. 7. POLYT. Adolescentulorum copulatio, & conjunctio: Ad liberorum procreationem est inepta. Nam in omnibus animantibus adolescentum fœtus imperfecti sunt, & fœminæ eduntur potius quam mares, & brevi corp

vi corporis figura: Quare necessario hoc idem etiam in hominibus evenit cui rei hoc argumento est quod quibuscunque in civitatibus hoc in more positum est, vt adolescentes cum puellis matrimonia jungantur, imperfectis & brevibus corporibus præditi sunt. Interea puellæ adolescentulæ & magis laborant in partu & plures intereunt.

Præterea verò & ad temperantiam adjuvat, elocare paulo ætate grandiores: Videntur enim esse intemperantiores ac libidinosiores eæ, quæ valde puellæ rebus venereis vsæ sunt, tum masculorum corporibus nocere videtur ad incrementum. Si adhuc corpore crescente rebus venereis dent operam, hujus enim tempus quoddam est definitum quapropter fœminas quidem Anno ætatis circiter duodeviceſimo convenit in matrimonium collocare, mares vero Anno circiter triceſimo septimo, nuptiis alligare. Nam arbitratur PHILOSOPHUS quod finis gignendi viris quidem sit vt plurimum Annus septuageſimus, fœminis vero quinquageſimus: Et quod ita ab initio copulandi sint, vt ætatibus ad hos fines concurrant: Ac procedente conjugii tempore simul procreare posse desinant. PLATO, LIB. 4. De LEG. Iusta finem fœminas à decimo sexto ad vigeſimum cum masculis à

trigesimo ad trigesimum quintum, conjungendas esse concludit. Et COR. TACIT. LIB. De GERMAN. Moribus sero inchoatam venerem laudat in GERMANIS sera juvenum venus inquiens eoque inexhausta pubertas nec virgines festinantur eadem juventa similis proceritas pares valedique miscentur; Ac robora parentum liberi referunt.

Verum hac nostra ætate ob adolescentum intemperantiam viri prudentes mitiori quadam sententia neptias indulgent; Et plerique masculos, à tertio vitæ septinario, fœmellas, circa decimum octavum: Aut non multo citius hymeneum celebrare permittunt. Ne à minimum tempestiva seminis profusione, incrementum corporis impediatur, viresque debilitentur: Adeo vt ex præpropera venere, primo ætatis flore & gratia deperditis ex adolescentibus subito viri effecti videantur.

Ideo REIPUB. Consultum esset Lege promulgata cavere ne ante tempus matrimonia contrahant: Atque etiam vt mendici artium expertes, vitam celebem ducant, ne multitudine inutili REMPUB. Onerent, & vt propria industria victum amictumque comparent. Et veneri cui genus illud hominum addictissimum est penitus valedicant. Senectus veneri nullatenus apta, cujus initium est

circa

circa Annum quinquageſimum quo tempore mulieres, deficientibus menſibus, non concipiunt, nec vt viri procreationis ſpe, ſed voluptatis explendæ cauſa coëunt.

Nam vt cenſet Philoſophus finis generationis, vt plurimum in viris eſt Annus ſeptuageſimus quamvis noſtro ſæculo circa nonum vitæ ſeptemarium pauloque poſt in pleriſque ſenibus actus gignendi deficiat ſicuti in mulieribus circa ſeptimum ſeptenarium proinde ſi ratio ARIST. Conſtare debeat ab initio mares, fœminæque ita connubio jungendi ſunt, vt ad fines vna concurrant: Simulque procreare poſſe deſinant: Vtcunque vero mares poſt Annum quinquageſimum: Aut ſaltem quinquageſimum quartum, gignant. Ætas illa veneri accõmodata non eſt: Nec vt prius, ſine noxa aut Sanitatis gratia, exercere poſſunt: Vires ſiquidem robuſtas exigit, nam ut inquit OVID. Artis peritiſſimus Amandi:

Qua bello eſt habilis, veneri quoque convenit ætas,
Turpe ſenex miles, turpe ſenilis amor.

Verum ex ſola ætate, non ſunt abſolute veneris commoda, vel incommoda æſtimanda: Sed ex conditione ſeminis, juxta corporis cujuſque naturam, roburque.

Nam vt eadem ætate aliis corpus magis,

aliis minus validum est: Ita eadem etiam ætate, aliis venus prodesse, aliis obesse consuevit: Natura autem illa, vel est ingenita, Et ex temperamento, & dispositione totius, præcipue vero partium genitalium, ac humorum in venis. Vel ascititia, longa consuetudine comparata, producitur enim semen in vasis ex humoribus, juxta dispositionem maxime testium ideo peccat semen, ut humores ex quibus gigintur, vel sola quantitate, vel qualitate, velutraque in temperatis, solius tantum quantitatis est vitium, nisi cunctando putrefcat: In intemperatis semper fere qualitatis, interdum etiam quantitatis; Nam in naturis calidis, humidis, sive sanguineis, seminis humidi multum est: In cæteris non ita copiosum, sed qualitate intemperatum: Ut in calidis, siccis, seu biliosis, calidum & acre, in melancholicis, siccum, crassumque in pituitosis, frigidum, humidum aquosum.

Deinde in masculis testiculi tanta vi, & influentia pollent, vt iis solis vitiatis totius corporis habitus mutetur: Et vir à muliere parum, moribus differre videatur: Ut in eunuchis videre est. Quare à testium crasi totius corporis dependet. Temperatura autem testiculorum calida, ad venerem maxime proclives reddit: Nam ob caliditatem, multum seminis

minis attrahunt, facile concoquunt: Et appetitu incitante ad expellendum insurgunt. Frigida vero contraria efficit: Humida multum humidumque, sicca paucum crassumque, natura temperata in omnibus modum servat: Quare ad venerem magis, minusve propensa non est: Quam ratio postulat: Modo animus a teneris probe institutus, nec libidinis blanditiis, corruptus fuerit, nec levibus erratis, ita facile vt intemperatæ detrimento afficitur quo respectu temperatis venus saluberrima est.

Deinde qui committitur error in temperaturis calidis, humidis, levior est quam in calidis, siccis, aut frigidis, humidis, & in his quam frigidis siccis: Nam temperaturæ calidæ humidæ plurimo semine circumfluunt: Quod multam illius materiam possideant, & ratione caliditatis magnam copiam attrahant: Non tamen plus cæteris venerem expetunt: Quod semen ob humiditatem vsque adeo non pruriat minori tamen periculo in excessu quam defectu delinquunt. Nam si præter consuetudinem abstineant, & non satis exerceant, sed in castitate vitam transigant graviter læduntur.

Hinc quibus natura calida est si modo robusti plenique, & bene enutriti sint aut Pra-

LOSO. PROBL. 30. SECT. 4. Nisi concumbant, sæpe bilis, aut vomitu, aut secessu ejicitur, pituita, salsa gignitur, & pro vivido floridoque calore citrinus pallidus ac fuscus inducitur. Quoniam cum semine excrementum aliquod evacuatur, ex eoque facile probatur, quod in iis qui vitiosis humoribus referti sunt piscium lavamentrum redoleat genitura.

Deinde calida sicca constitutio, semen habet crassum fæcundum: Sed acre ideo celeriter excitatur & supra modum in venerem trahitur ætate etiam immatura. Verum ob caliditatem & siccitatem seminisque paucitatem cito satiatur, actusque venereus expletur, si amoris irritamentis vlterius feratur: Et sæpe incitetur (quod huic naturæ præ cæteris maxime accidit) plurimum læditur. Nam ita brevi vires exhauriuntur, vt exsiccata marasmo, phthisi, concoquendi debilitate, & similibus in extremam perniciem ducatur; Moderata tamen venus concedanda; Quia cum semine redundante acres & fuliginosos vapores discutit: Qui cor, cerebrumque infestare solent. Præterea quibus est corporis testiumq; frigida temperatura, tenue & aquosum semen generant: Et maxima ex parte infæcundum: Aut fœminis tantum procreandi si doneum.

neum. Quod à multa humiditate exigua caloris nativi, vis obtundatur. Proinde ad venerem minime proni. Si quando vero ferantur, tarde exercere incipiunt moderata tamen salubris, quod calorem nativum suscitet, & aquosos humores discutiat; ob id Authore HIPP. 3. EPIDEM. SECT. 5. APHOR. 23. Et ARIST. PROBL. 51. SECT. 1. Et 17. SECT. 4. Venus pituitosis morbis confert, similiter quoque & obæsis, qui veneri nuncium remiserunt, seseque illius sacris amoverunt. Contra immoderatus etiam nocet licet rarius iis accidat: Quia cum spiritibus calorem nativum dissolvit. Qui frigidæ siccæ sunt constitutionis, Crassum semen obtinent.

Verum paucum: Ut parum valeant præstare: Et si illecebris propellantur, exsiccantur & molestiam patiuntur. Quamvis initio venus calorem nativum adugeat, debiles tamen spiritibus, quibus vires continentur exhaustis mirum in modum labefactat. Quare cum à GAL. pituitosis & melancholicis nonnullis prodesse dicitur: Intelligendum tantum hoc modo natura sit valida cui est maxime conveniens similiter corporibus succi plenis, carnosis, densi compactique habitus, præcipue si laute viventes, immodico ocio fruantur:

tur: Contra extenuatis, invalidis, exſiccatis victu tenui, vitaque laborioſa vtentibus, exitio eſt.

Nam in juvenibus robuſtis veneris vſu, habitus mutatur, potius in raritatem, quam vires ad debilitatem. Quod ſi prius habitus rarus fuerit mutationem ſubit: Non ſolum ad majorem raritatem; ſed etiam vires ad inſignem debilitatem. Mulieribus hiſtericis, quibus præfocatio vteri, ex retentione ſeminis, vel menſtrui ſanguinis moleſta eſt venus plerumque auxilio eſt. Nam tardantia menſtrua promovet; Atque vt interdum concipiant ſuppetias fert. Similiter & virginibus pallidis, quæ morbis circa Annos pubertatis, ex ſanguinis copia, pravaque qualitate tentantur. Ideo conſulit HIPP. LIB. De Virginum morbis ſi menſes minime erumpant: Ut vel celerime coeant, aut ſanguinem pertuſa vena educendum permittant.

Nam vt GAL. COMMENT. in 6. EPIDEM. Increſcentes morbos in pubertate, venus prima ſolvit. Verum non omnes, ſed eos præſertim qui ex copia, aut qualitate ſanguinis, non vitio alicujus viſceris naſcuntur. Sic in maſculis multum ſæpè prodeſt prima venus, excretioque ſeminis: Sed non æquè, vt prima menſium evacuatio in virginibus.

nibus. Nam nonnulli etiam mares, post Annos pubertatis olent hircum, retento nimirum semine, cum multis fuliginosis vaporibus qui curantur quidem non solum ejaculatione seminis: Sed etiam exercitationibus frictionibus Balneis, &c. A venere penitus abstineant, qui morbosa debilitate partium laborant: Aut quibus nervi affliguntur: Atque etiam quorum vesica, renes, thorax, infirmi sunt: Nec non quos Paralysis, Epilepsia, aut alius quivis affectus, circuitus habens infectat. Præcipue si metus sit instantis accessionis: Nam tempore invasionis, vehemens impetus excitatur.

Quem-admodum in cæteris rebus non naturalibus; ita in venere consuetudo maximam vim habet: Nam vt supra dictum, exercitia, membra genitalia augent, roborant, plurimum seminis alliciunt, & ad munus obeundum aptiora reddunt. Ex adverso neglectus officii proprii, magnaque abstinentia, aut pudicitia, extenuat, debilitat. Id-circo assueti veneri, licet senes aut invalidi, ægritis ab ejus vsu abstinent, & facilius errores ferunt: Contra minus assueti aut casti ad venerem sunt inepti: Et si præter consuetudinem incitentur, peccatis levioribus promptissimè offenduntur: Nam vt in aliis actionibus, con-

ſuetudo facilitatem parit. Ideoque multi, ea neglecta, non potuerunt concumbere: Alii ægre, magnoque cum labore. Doceritaque hos paulatim aſſueſcere, & conſequenti inſtitutione corpus in priſtinum ſtatum reducere. Tempus quo ſunguis, ſemenque magis augentur: Et ad venerem, cuncta prona feruntur, eſt vernum, vt vult HIPP. LIB. De Superfætatione: Siquidem renaſcente Anno, & aperiente ſe Cœlo, alma in cuncta ſe immittente dea, rerum omnium ſemina, natura ſtimulante concipiuntur.

Deinde Hybernum, quod tunc corpora multo calore nativo abundent, & plurimo Alimento indigeant, vnde magna ſeminis copia. Poſtea autumnale, imprimis pars illius quæ ad hyemem inclinat. Ob contrarias cauſas æſtate nocentiſſima eſt: Ideoque jure merito ab ea eſt abſtinendum, aut rariſſimè vtendum obſervandum ex PHILOSOPH. PROBLEM. 26. & 29. SECTIO 4. Necnon CAP. 8. LIB. 5. De Hiſtoria Animalium ſtimulari ad venerem magis, viros tempore Hyberno fœminas vero æſtivo: Quem ſequitur PLINIUS, CAP. 63. LIB. 10. Quod illi temperiè prædiți calida æſtatis fervore æſtuent. Indeque vires langueant. Hæ vero frigidæ humidæque, æſtatis calore fotæ, ab

tæ, ab hac contraria qualitate ad mediocritatem quandam temperamenti reducantur, in qua robur actionum consistit. Unde fit vt veneris munia, promptius ac melius, viro possit tunc exercere. Idem etiam habemus ex AURIENNA, LIB. 3. FEM. 20. TRACT. 1. CAP. 25. His verbis, & virorum desiderium forte fit in regionibus, & aeribus at temporibus frigidis, propterea quod aggregatur illud ex virtutibus eorum: Et dispositio mulieris est è contrario, &c.

Cæterum de hora diei noctisque non consentiunt Medici PAUL. ex ÆGMA. LIB. 1. CAP. 35. Tempus concumbendi maxime opportunum esse dicit; Secundum cibum, antequam somnus invadat cujus opinionis, duas rationes subjungit. Nimirum, quod lassitudo ex coitu contracta, statim obdormienti remittatur. Deinde quod id tempus, liberis procreandis, sit accommodatum: Tum aliis de causis, tum quod mulier consopita, genituram facilius retineat: Ab hac in nonnullis discrepat ÆTIUS TETRAB. 1. SERM. 3. CAP. 28. qui, convenientissimum quidem coeundi tempus, existimat à cibo, non nimium ingesto. Nam ad robur conducit & frigiditates evenire solitæ (vt ait) minus fiunt. Verum à prandio, si quis ad venerem incitetur,

tur, prius quiescere debere, scribit, donec cibus desidiat. Si à cœna paululum ante dormire.

Tertia tutissima est quæ colligitur ex Hipp. 6. Epid. Sect. 6. Distinct. 5. Ubi inquit labor cibus potus somnus venus omnia mediocria. Quibus verbis & ordinem causarum naturalium, & vtendi modum proponit. In ordine siquidem, præcedere semper debens labores, cibus, & potus subsequi: Ut vires exhaustæ laboribus, reficiantur. Hinc somnus ad meliorem ciborum concoctionem in ventriculo, & venis: Atque semine probè confecto, auctoque in testibus, venus commodissimè instituitur; Sed moderata: Nam Sanitatis tuendæ ratio in mediocritata consistit.

Quare nec Pauli, nec Ætii opinio, satis probabilis est. Quippe à cibo coeuntibus plerumque aut cruditates, aut Alimentorum corruptiones oboriuntur: Nisi robusti fuerint: Qui tamen si hunc morem, diutius servaverint, tandem manifeste læduntur.

Deinde à cœna, paululum tarum dormire, & veneris gratia, somnum intercipere, tutum non est: Ob commotionem, & ingestorum fluctuationem in stomacho, quam experiuntur, qui nocte intempestiva expergiscuntur, aut quia

aut quia motu ille corporis concoctio turbatur, & crudum Alimentum discendere cogitur, & in venis recipitur: Tum etiam quia non pauci, semel excitati, difficulter iterum, somno corripiuntur.

Nec etiam vt PAVLVS voluit, tempus illud à cibo, priusquam somnus obrepat, liberis procreandis accomodatum est. Nam perfecta concoctione, mane, nullo Sanitatis cum detrimento, promptius veneris certamina ineunt, validius perficiunt, victoresque discedunt; Praecipue cum liceat quiescere, iterumque subinde dormire; Ut lassitudo contracta, amoveatur. Ex quibus omnibus colligitur tempus veneri maxime opportunum matutinum esse, veri simillimum intervenientes prius somno, peracta concoctione in ventriculo, & venis.

Deinde corpore in exquisita rerum naturalium mediocritate constituto, vt nec sit nimis plenum, aut vacuum, calidum, aut frigidum, siccum, aut humidum. Item de positis prius alvi & vesicae excrementis. Verum enimvero vt fieri plerumque, solet si error aliquis committi debeat: Commodior erit à coena, quam prandio venus: Quod somno super veniente, lassitudo facilius remittatur, virefque corporis melius refriciantur.

Deinde ſalubrior plerumque eſt venus ventriculo, aut corpore pleno: Aut plus æquo humectato, quam exinanito, arefacto, aut famelico, & calefacto, quam refrigerato; Venus enim evacuat, attenuat, exſiccat, & initio quidem calefacit, poſt debiles refrigerat, quare vbi fames, aut inedia laborandum non eſt: Nec venere vtendum, neque etiam poſt labores, & vigilias: Nam teſte COMIÇO verum illud eſto quod dici ſolet ſine CERERE & BACCHO friget venus. Quare ſi quid aliud certè venus Alimenti exſuperantiam exigit. Deinde licet cæteris paribus noctu ſalubrior ſit, quam interdiu, pleriſque tamen maxime ſiccis interdiu, cum præceſſit aut ſequiquitur, virium refectio, commodior eſt quam noctu. Ante, & poſt inediam, labores, vigilias, &c.

Verum naturis humidis pinguibus vel obæſis dum vrget inedia, longè melior eſt concubitus quam cum ſe nimium expleverunt, licet. Deinde vires imbecilliores reddat. Laſſatos coitus plurimum infeſtat. Cum debilitas non ſit laboris remedium: Quam-etiam poſt purgationes, recentes ſatietates, ebrietates. Præterea veſica lotio referta, & nondum alvo exonerata. In iis qui cæca libidinis cupiditate ad venerem non feruntur, obſervandus eſt na-

est naturæ conatus, tempusque quo ad seminis excretionem maximè incitantur: Siquidem ipsa natura videtur id ratione quadam efficere, vt primum maximè ad coïtum impellat, quo semen paratum est vt excernatur, sive quod redundat copiosum, optimum, & æquale est. Quod vt ex RUFO scribit OREBASIUS cum Medici animadverint in filiorum procreatione, admonent virum qui comederit, & æpulis convivioque exceptus fuerit: Mulierem vero quæ parcius sit educata debere commisceri, cujus rei causam adjungunt.

Quoniam vir dare, accipere vero mulier, debet: Vel quod ob copiam, vis, seminis virilis, tum maximè præpolleat, & sua natura, calidius, siccius, & masculorum magis generatrix, præcipuè ex dextro testiculo fluentis. Fœminis tempus ad gignendum maximè conveniens est, cum menstrua incipiunt, vel fluere desinunt. Quod GAL. CAP. 10. LIB. De vulvæ diffectione notavit, his verbis. Vasa vulvæ, quiæ ad interiorem partem penetrant, ex quibus etiam menses expurgantur, cum fœmina conceptura est; ora aperiunt; conceptionis vero tempus est vel incipientibus, vel cessantibus menstruis. Quamvis enim reliquo etiam alio toto expurgationis

tempore aperta ora hæc ſint, non tameu tunc concipere mulier vllo modo poteſt: Cum ſemen nequeat in vulva remanere; ſed ab influentis ſanguinis copia eluatur, ac ceſſantibus vel incipientibus menſtruis, & ora aperta ſunt, & menſtruum non multum neque vniverſum; ſed paucum & paulatim effluit, quaſi ex humiditate quadam ſanguinea exudante, vnde efficitur vt ob aſperitatem vulvæ ſemen adhæreat, ſatiſque Alimenti ex ſanguinis confluentis paucitate habeat.

Ante enim, quam menſes veniant, conceptus fieri propterea non valet quia & Alimento caret ſemen, & adhærentiam nullam invenit. Nam cum eo tempore occluſis vaſis levis vulva relinquatur, defluit, neque vniri cum tunica ejus poteſt. Aſpera ſiquidem magis idonea ſunt, quam levia ad coaleſcendum. Hæc etiam eſt HIPP. Sententia, LIB. 1. De Morbis mulierum. Nec propterea in errore verſari putandum qui cum menſtruata minime concumbendum memoriæ prodiderunt ſiquidem hi cum impetus fluxus viget, quando jam ſanguinis ex vulvæ magna copia prolabitur non eſſe ea vtendum, intellexerunt: Non autem cum incipiunt vel deficiunt. Verum mulier nirum adeat ſuadente HIPP. LIB. 1. De Morbis menſtrua purgatione deficiente, ſed tamen ad-huc eunte potius

quam penitus ceſſante, quandoquidem inchoantibus magis quam diſparentibus menſibus imminet periculum ne vel vbertate ſenguinis mox ſupervenientis ſemen obruatur, vel ſi fiat conceptio, fœtus detrimentum aliquod patiatur præſertim quod in menſtruo ſanguine humoris inutilis perturimum contineatur, vt ait PHILOS. CAP. 6. DE GENERA. ANIMAL. LIB. 2.

Tertio quantum, & quouſque veneri ſit ſacrificandum. Multum, an parum, fræquenter, an raro abſolute in omnibus determinari nequit. Sed tantum ex virium robore, pro cujuſque ætate temperatura, habitu corporis & conſuetudine, individuorum ratione, quæ varia eſt. Nihilominus GAL. & CELSUS in cunctis ſignum commune proponunt, ex quo, non erit arduum cognoſcere, & cuique, certam menſuram conſtituere: Illud autem eſt ſi à venere, ſequatur, nec languor, nec dolor, aut vlla virium debilitas: Sed corporis levitas, facilior, liberiorque reſpiratio. Hæc enim demonſtrant evidenter, tantum indulciſſe veneri, quantum opporteat. Eadem ratio eſt in fræquentia, & raritate concumbendi. Nam Authore CELSO concubitus, nec nimis concupiſcendus; nec nimis pertimiſcendus. Rarus, corpus excitat, fræquens,

ſolvit. Cum autem fræquens non numero ſit, ſed natura, ratione ætatis, & corporis, ſcire licet tum non in-utilem eſſe, quem corporis, nec languor, nec dolor ſequitur. Nam natura, aut ætate invalidis, concubitus ille, fræquens dicitur, qui juvenibus robuſtis, rarus, parcuſque tantum, judicatur.

Super-eſt de modo aliquid dicamus. Inſtituitur autem venus, vt diximus procreationis liberorum, aut Sanitatis, vel delectationis, explendæque libidinis gratia. In ipſo vero actu, tria conſiderantur. Primum voluptas: Secundum exercitatio: tertium ſeminis excretio. Voluptatis cauſæ aliæ externæ aliæ internæ. Externa propriè eſt objectum, nimirum amabile, ſpecieſque mulieris amatæ, imaginationi impreſſa, appetitum movens, & gratia evacuandi ſeminis ſuperflui, naturam ad ea potiundum, ſeu concumbendum, impellens: Ardentius autem, & vehementius fertur, quo ab illecebris rei deſideratæ, magis ſuperatur, & ſemine pruriente, & acri, vaſa, copioſius replentur. Cauſæ internæ ſunt: Primum concurſus ſpirituum concitatorum, ab appetitu, & ad fruitionem amatæ, confertim ad genitalia erumpentium: Et in viris, ad ſpongioſas penis partes. Admodum ſenſiles; ſeu fiſtuloſum nervum tendentum, & ad concubitum deniq;

denique, seminisque profusionem, erigentium: Qui quanto tenuiores, & celerius per exquisitissima sensus organa delati fuerint: Tanto majorem titillationem, & tentiginem adferunt. Idem quoque præstat seminis excretio. Nam ociſſimè, per partes sensiles reducens ad statum naturalem, voluptatem excitat. Quod enim nimia vbertate luxuriat, antequam elabatur, in statu præter naturam est: Quando vero excutitur, ad naturalem regreditur: Et quo celerius, vehementiusque, eo majori jucunditate demulcetur, quo tardius, debiliusque minori. Movetur autem violentius, si multum, pungens, vellicansque contineatur. Quare in omnibus par voluptas non est. Marium vasis spermaticis vis tantum inest expellendi in sinum pudoris: Fœminarum, vero tum expellendi proprii simiis, tum attrahendi virilis in vterum, ideoque statuunt non pauci, in concubitu majori voluptate mulieres deliniri quam mares.

Verum cum plerique mares fortiorem expellendi facultatem quin & spiritus subtiliores nacti sint, genituram vividiorem, magisq; prurientem celerius multo per vias longiores, & aufractuosiores excernunt. Quare intensiorem sed breviorem mares: Sexus fœmineus languidiorem; Sed diuturniorem percipiunt

voluptatem, & oblectationem. Lasciuis tamen peculiariter accidit, procacibusque nonnullis, quæ promptissimè semen proprium expellunt, & avidissimè virile attrahunt. Ut non minùs intensam voluptatem sentiant. Ob quam causam non immeritò concubitus cum eiusmodi fœminis improbatur.

Nam valida illa virtute magnetica, cucurbitæ instar spiritus, humidumque nativum, senum præcipuè, & invalidorum, attractum exhauriunt. Quare TIRESIAE, quamvis huic venus vtraque nota. Non est assentiendum sententiæ, in METAMORPHOSI OVIDIANA latæ. Nisi voluptas intelligatur extensive, non verò intensivè, vt loquuntur in scholis. Vel si dicamus viros ardentius: Mulieres verò, pertinacius amare, atque concumbere. Quod testatum reliquit HIPP. LIB. DE GENITURA, his verbis, ex Sententia MERCURIAL. CAP. 16. LIB. 4. Variarum lectionum. Cæterum multo minus delectatur fœmina quàm vir in coïtu, longiori tamen tempore quàm vir. Perniciissimæ sunt & belluis fœdiores quæ delassatæ viris non satiantur: Sed ad-huc ardent rigidæ tentigine vulvæ: Ut de MESSILINA CLAUDII scribit IUVENALIS.

Optim

Optimum autem eſt cuique veneris ſacra excolere cum prompto & expedito animo concubitum expetit corpore non refragante: Hoc enim obtemperare, illum verò, dominare rationi conſentaneum; Sed vehementes illius motus ablegandi, vltra ſauromatas, præcipuè, effrenis, & immoderata cupido, lætitia, triſtitia, indignatio, quæ ſpiritus, à membris genitalibus, interdum ita divertunt: Ut nec penem erigere, nec in ipſo congreſſu, voluptatem explere queant; Et vt ait Poeta:

Si quando in prælia ventum eſt,
Vt quondam in ſtipula magnus ſine viribus
ignis incaſſum furit.

Quocirca vt minimè noxia ſit venus, moderanda eſt, cum deſiderio vxoris amatæ; Et non exercenda, niſi incitamenta, mutuuſque amor, præcedant. Quare odio Vatiniano proſequendæ ſunt, non ſolùm meretrices, mulieres impuræ; Aut fluxui menſtruorum obnoxiæ: Sed etiam ſalaces, nimium petulantes, frigidæ, ignavæ, vetulæ, quibuſque votum caſtitatis, vel continentiæ ſtudium propoſitum eſt. Deinde ad ſeminis ejaculationem, confert plurimum, exercitatio, motuſque corporis: Qui tamen moderatus eſſe debet. Nam immodicus, præcipuè in venere repetita ſpi-

ritus, impensius resolvit, vires dejicit, sanguinis mictum, sensus, & motus stuporem, aliaque gravissima symptomata, invehit, maximè in naturis invalidis. Ob quàm etiam causam, insalubres sunt concubitus, qui erecto corpore fiunt. Majorem siquidem lassitudinem afferunt. Optimum enim est, & Sanitatis, & suscipiendæ sobolis gratia, ad seminis emissionem, partes apto, & convenienti situ dispositas esse. Nam ex indecenti, retinetur nonnunquam. Quod nonnulli sponte faciunt vt ex longiore suppressione, majorem delectationem percipiant. Quæ consuetudo perniciosissima est: Cum ex hac, incidere quandoq; soleat, peritoneiruptio, hernia intestinalis. Non rarò semine diutius retento, & putrefacto vlcera pudendorum cacoëthea.

Consequens est vt de Accidentibus, quæ ratione veneris, Sanis interdum accidunt, deque curatione eorum, aliquid dicamus. Ac primum ex maritis, nonnulli, interdum reperiuntur, qui officio conjugali nequeunt fungi. Aliqui, qui ad venerem tardi, aut ignavi tantum sunt. Cujus causa est, vel defectus seminis; Aut spirituum, in membris genitalibus, vel resolutio colis. Scopus itaque curationis erit, semen procreare, & ad excretionem, provocare, atque sine exsiccatione calefacere. Seminis autem copiam sup-

peditant, quæ bene nutriunt; absque exsiccatione verò movet, sive partes genitales ad libidinem excretionemque impellunt quæ flatulenta sunt. Quare in his diæta primum sit calefaciens, modiceque humectans. Et quia venus si quid aliud exuberantiam Alimenti exigit: Ideo cibi, valentis naturæ, vtiles sunt, qui reficiunt abunde, simulque inflant. Quales sunt panes triticei, in furno cocti, carnes porcinæ, vitulinæ, agninæ, gallinaceorum gallorum, anatis, anserum, avicularumque motanarum, testes gallorum coëuntium, ova recentia. Ex piscibus ostrea polypi, caneri, squillæ, anguillæ, raiæ. Ex fructibus, uvæ recentes. Maturæ, nuclei pinei, pistacia, rmygdalæ dul. ex leguminibus, faba, pisa, ciceres, phaseoli. Ex oleribus, eruca, horminum, vrtica, erisimum, rapum, sisarum, pastinaca, cynara, &c.

Quæ verò flatus discutiunt vt ruta, aut valdè refrigerant: Ut lactuca veneri inimica sunt. Potus sit Vinum odoratum fulvum, aut subrubellum, Cervisia potens, benè cocta, & defæcata exercitia moderata conveniunt, præcipuè inferiorum partium; Ut deambalationes, equitationes, non admodum concitatæ, nec valdè multæ. Ne lumbi testesque fatigentur Verum naturæ ficciores in quiete magis sunt continendæ; Frigidiores & humidio-

res vehementius exercendæ, cursu velocioti, æquitatione, &c. Sed à palæstra, lucta, disco, & similibus abstinendum.

Nam licet ad robur totius corporis comparandum inserviant; Ad alias tamen partes, potius quàm ad vasa genitalia, nutrimentum perferunt. Cum concubituri sunt fugiant omnem laborem, lassitudinem, inediam, satietatem, cruditates, ebrietatem, aliaque supra dicta. In mollibus lectulis dormiant, remotis curis, & cogitationibus severioribus, adhibitis libidinis incitamentis. Lasciva etiam legant, & ejusmodi spectaculis, quæ titillent animum, assideant. Cibi flatutenti cujusmodi in primis sunt cepa rapi raphanus, & bulbi omnes veneris libidionem exactant vnde illud MARTIALIS:

Cum sit annus conjunx, cum sint tibi mortua membra;
Nil aliud bulbis quam satur esse potes.

Mane & vesperi exhibeatur nonnihil gingiberis conditi, aut radicis eringii, aut satyrionis conditæ, vel aliquid pulveris satyrionis, vel seminis erucæ, in ovo sorbili. Vel Vinoodorato, aut diatrion piperion, vel electarii diasatyrionis, &c. Ungantur pudenda, lumbi, permæum, oleo formicarum, vel limento

mento ex oleo LIL. ALBORUM, axungia cuniculi, cum pulvere pirethri, piperis, erucæ, vrticæ, ac modico zibethi. Si malum sit ex resolutione colis: Illinatur oleo de Castorio, de Piperis, &c.

Narrat THEOPHRASTUS, inquit ATHENEI abbremator, eam esse quorundam facultatem vires in venerem sufficiendi, vt septuageno cirtu duret Libido. & PLUTARCHUS scribit Sandrottum Indiæ Regem ad ANTIOCHUM PLAUTAS misisse natas aptas ad virilia attigenda, & non vt DALICHAMPIUS male, facultate astrugendo praditas quæ subditæ pedibus, in aliis veneris appetentiam exceterent, qualis est in gallis gallinæceis: in aliis venerem cohiberent. Contrariarum virium causam, in vtendi modo positam fuisse arbitrandum. Nam & Vinum modice sumptum animum exhilerat. Viresque corporis reficit immodicè Potum dementiam inducit robur corporis exhaurit.

Alia ratio observanda, in iis, quibus continentiæ studium propositum est: Vel qui semine copioso, atque acri abundant. Verum multiplex in his est naturarum diversitas. Nam sunt nonnulli, quos protinus à juventute, coïtus imbelles facit, aliqui, qui nisi assi-

duè coëant, capitis gravitatè, infestantur. Febribus cruciantur, cibos eversantur, concoctio impeditur. Sunt quoque, ex hoc genere, quidam qui cum præter consuetudinem, a coïtu abstinent, pigri, torpidi, & melancholicorum more, præter modum tristes evadunt. Quæ omnia, statim veneris vsu, sedantur horum causa nulla alia videtur, quàm seminis retentio in iis quibus magna est copia & vita ociosa. Reperiuntur etiem qui semine coâcervato, in venerem proruunt, quod cum excreverint, invalidi redduntur, atque extenuantur resoluto ventriculo. Viciſſim ob eandem causam si à coïtu arceantur, capite gravantur, pollutionibus noëturnis molestantur.

Omnibus quibus semen est copiosum, aut acre, conveniunt, quæ illius procreationem, & proritationem impediunt: Cujusmodi sunt, primum, quæ. Sanguinis exiguum generant. Quare victus ratio sit parca tenuis ex Alimentis parum nutrientibus: Quales sunt panes hordeacei, triticei furfuracei pisces molles & friabiles, sed rarius olera pleraque præcipuè lactuca Portulaca. Potus aquæ aut cervisiæ tenuioris deinde quæ redeundantiam seminis evacuant: aut à partib⁹ genitalib⁹ avertunt: vt Phlebotomiæ, vehemẽtes labores, atq;

superio-

ſuperiorum partium exercitationes; Speciatim verò, proritationem ſeminis, partium genitalium, ſtimuloſque venereos coërcent. Primum quæ ſpiritus flatulentos diſcutiunt, vt ſemina rutæ, vrticæ, carvi, cumini in cibis: Aut cum aliis medicamentis ſumpta; item calamentha, &c.

Deinde, quæ vim, & impetum illorum ſpirituum, obtundunt, reprimunt, à partibus genitalibus repellunt, & quæ vehementius refrigerant. Cujuſmodi ſunt lactuca, portulaca, eorumque ſemina. Item flos, & radix nympheæ, & ſimilia. Ex quibus concinnantur, quæ lumbis genitalibus admota, calorem contemperant, flatuſque reprimunt. Veluti linimenta ex cerato roſaceo, aut ſantalino. Vel ex oleis roſarum, nympheæ, myrtino, cum ſucco lactucæ, portulacæ ſolani, aut hyociami: Vel mucilag. ſemini pſillii, cydoniorum, ex aqua Roſ. cum pulvere terræ ſigillatæ, acaciæ, ſantalorum, ceruſſæ, cum modico camphoræ, & aceti. Cavendum tamen ne horum, & ſimilium vſu lumbi impenſius refrigerentur. Itaque ſi alicujus mali ſit metus: Addatur prædictis, nonnihil ſeminis rutæ, aut viticis, &c.

Commendatur in hoc caſu atque etiam ad veneris inſomnia cohibenda lamina plumbea,

lumbis admota. Lectis imponantur herbæ refrigerantes, cùm ruta & teneris. agni casti surculis tandem proritationem seminis, & stimulos libidinis, coërcent, quæ à partibus genitalibus spiritus evocant. Hujusmodi sunt graves curæ, cogitationes severiores, contemplationes, vigiliæ, continui labores, & exercitationes. Nam

Otia si tollas periere cupidinis arcus.

In hunc finem, cum fœminis, non sunt familiaritates contrahendæ: Et cætera veneris incitamenta fugienda, & si fieri queat, de concubitu nihil cogitandum. Hæc sunt ab iis præcipuè observanda, qui voto castitatis se obstrinxerunt. Præterea nonnulli sunt, qui magna cœundi libidine tenentur, sed in ipso concubitu, non semen; sed flatum excernunt. Hoc malum RUFUS, in CORINTHIO, conjectura assequutus est, ex siccitate defectuque humidi Alimenti provenire, quod indicavit curatio. Nam quam primum victu humido ali cæpisset; statim semen emisit. Insuper aliqui quandoque reperiuntur qui videntur ob multam humidam Perfrictionem non posse concumbendo foveri; in somno vero, nimium. Quatenus retracto calore, interiora calefiunt, exteriora perfrigerantur, quem affectum

affectum curavit RUFUS in MILESIO. Exercitationibus inferiorum partium, equitatione, victu calido, ficco, & medicamentis, multum calefacientibus, exficcantibus vt caſtoreo, & ſimilibus.

Inepti ſunt ad gignendum ebrioſi, quod magna ex parte ſemen eorum genitale ſit infœcundum; vt ARIST. vult. PROBL. 4. SECT. 3. Propter humiditatem temperaturæ corporis, ex Vini immodico vſu contractam: Unde ſemen inconcoctum, fluidum & aqueum, cui pauci ſpiritus inſunt, vt facilè diffundatur in aqua, quod infœcunditatem arguit; juxta PHILOS. CAP. vltimo, LIB. 3. DE HIST. ANIMAL. Idem etiam PLUTARCHUS ſcribit, LIB. 3. SYMPO. QUAEST. 5. Inquiens at qui multum bibunt ſeginores ſunt ad coïtum, nihilque validi, aut temperati gignunt: Sed ob frigiditatem ſeminis, atque pravitatem, inanes ſunt eorum cum mulieribus conſuetudines. Hos, ſicut cunctos Sanitatis ſtudioſos, CICERONEM Eloquii Patrem, & Principem, auſcultare fuerit operæpretium, Lib. 1. OFFICIO. Dicentem ſuſtentatur valetudo notitia ſui corporis, & obſervatione earum rerum, quæ, aut prodeſſe ſoleant, aut obeſſe, & continentia in victu omni, atque

cultu corporis quendi causa, & præterm̃ittendis voluptatibus. Postrem̃o, artem horum, quorum ad scientiam hæc pertinent.

Super-est demum vt de cura eorum nonnihil subjungamus quæ venerem immoderatam consequuntur. Sunt autem illa imprimis corporis frigiditas, siccitas, raritas, & debilitas ex immodica spirituum, seminisque profusione, ducentes ortum. Qui quidem affectus, quam curandi rationem, non admittunt.

Nam frigiditas, calefacientia, siccitas humectantia, raritas, laxitasve, densantia, virium debilitas, confortantia indicant. Verum interim ad eum medentis intensio est dirigenda, qui alios longè superat, maximeque vrget, cæteris non neglectis: Vincit autem, in iis, qui per ætatem, aliámve rationem sunt infirmi, virium imbecillitas ob maximam substantiæ dissipationem: In juvenibus robustisque plerumque corporis raritas: Nam his corporis habitus in raritatem potius quàm vires in debilitatem mutantur. Virium autem debilitas, reficitur cibo pauciore, humidiore, & moderatè calido, boni succi: Pauciori quidem, vt perfectè concoquatur: Calido vero, & humido, vt frigiditas, siccitasque contemperentur. Nimirum, jusculis restaurantibus, ovis sorbilibus, &c.

Raritas,

Raritas, mollitieſque corporis, frictione corrigitur, non Apotherapeutica, quæ relaxat; Sed præparatoria, quæ denſat. Item exercitiis, quæ non ſolum celeritate, & robore, calorem nativum excitant: Sed etiam habitum corporis, compactum reddunt.

Si vires Anni tempus & conſuetudo permittant: Balneum frigidum adeant. Verum qui ab immodico concubitu exhauſti ſunt, decet ſtatim à venere, calidis veſtimentis opertos, quieſcere, ſomnoque ſuſficienter indulgere, donec corporis remiſſa contentione, ſeſe recolligant, vi vires pro modum Alimentis reſtaurent.

De Laſſitudine non Spontanea, Cap. 15.

LAssitudo propriè, eſt pigritia aut impotentia quædam voluntarii motus, ob ſenſum affectus dolorifici, in partibus motui deſtinatis. Senſus autem ille, triplex potiſſimum eſt. Quaſi vlceris ſive morſus punctioníſve, vel tentionis, ſolummodo: Vel cum morſu, & calore. Quare Laſſitudo triplex erit ſcilicet vlceroſa, tenſiva, Phlegmonoſa; ſeu contundens. Harum quælibet, aut Sponte, ſive nobis non advertentibus, à cauſa interna, aut ab evidenti, præcipuè inter exercitandũ, ex immodicis laborib⁹, producitur. Unde laſſitudo omnis, aut Spontanea eſt, ab interna: Aut non Spontanea, ab externa cauſa. Nos hic de non Spontanea, deque aliis nonnullis accidentibus, quæ ſequuntur exercitia, dicemus. Ac primum Laſſitudo Spontanea vlceroſa, eſt qua partes, ſeu vlceris ſenſu, affi-

ſu, afficiuntur, ſeleque pungi, & multas quaſi ſpinas infixas habere, arbitrantur. Hæc affectio quoties non ſua Sponte: Sed per labores immodicos, & intempeſtivos excitatur, accidere conſuevit: Vel adipe, carneque, molli liquata, ob exercitationes multas, validaſque, in Plethoricis: Vel excremento quod craſſius erat, fuſo, & attenuato; Non tamen penitus expulſo in Cacochymicis, poſt recentes cruditates, cum immoderatius exercentur.

Nam quod acre eſt, etiam in corporis habitum protruſum, cutem, & interdum ſubjectam carnem, vellicat: Ac vulneris ſenſum invehit: Qui major eſt, quo materia acrior, copioſior celeriuſq; movetur, & corpus acutioris ſenſus eſt. Tenſiva laſſitudo dicitur cum membra nobis tendi videntur, ſine morſu, aut vlceris ſenſu. Hæc vbi non Sponte; ſed per exercitationes advenit, cauſam habet non excrementum aliquod; aut humorem redundantem: Sed tantum, ex nimia tenſione muſculorum, & tendinum quàm exercitando admiſerunt, affectum, in iiſdem muſculis, nervoſiſque partibus, relictum, effectricis cauſæ, potentiam demonſtrantem: Nimirum, tenſionem quandam involuntariam fibrarum, illi ſimilem, quæ per exercitationem fiebat. Nam ſupervacui nihil, de quo ratio ſit habenda, in

da, in corporis habitu, continetur. Hæc autem musculorum tensio, alias major, alias minor in vehementi quidem, accidit omnes musculorum fibras, tendi, non tamen similiter, omnes Lassari: Sed eas maximè, quæ secundum tensionis longitudinem, porriguntur, & rectæ vocantur. Non ita, quæ oblique jacent, quod minùs in directum agantur. Deinde in iis, qua eousque sunt extensæ, vt parum à ruptura absint, relinquitur affectio, similis ei quæ inter exercendum fieri solet. Quippe tendi adhuc videntur, cum tamen, ad movendum non vrgeantur. LATSITUDO hæc, propriè corporibus optimo succo plenis, post vehementes robustasque potius, quàm cereles exercitationes, peculiaris est.

TERTIA LASSITUDINIS Species est quæ seu contusas, aut Phlegmone obsessas partes; sive in illis tensionem, cum morsu, & calore percipimus. Atque in eos maximè incidit, qui excrementis abundant. Cum per exercitationes, & vehementissimas, & plurimas, musculi calefacti, attrahunt quidpiam, ex circumfusis excrementis, præcipuè verò, in iis, qui exercitiis non sunt assueti. Siquidem assueti, rarò hoc malo corripiuntur. Quò autem plus musculi, ad se allicuint. Eo

Lassitudo

Lassitudo major erit, quod si excrementum copiosum, alteratum non solum in superficiè, sed in profundo, ita vt affectio tendinibus & nervosis partibus communicetur, dolor sentitur, orituruque istius Lassitudinis Species, quam ὀστεοκοπον, quasi ossium dolorem, & confractionem nominant.

Ob penitiorem sensum, partibus, quæ in alto corpore, maximè positæ sunt, nomen tribuentes. Quippe in superficiè est, cutis, post musculi, circum ossa, positi, & tendines ossibus alligati: Quorum membranis, si quid eveniat adversi, in imo, & circa ipsa ossa, affectionem hærere probabile est.

In hac Lassitudine ob vitiosum humorem, in corporis habitum abunde transmissum, musculi, supra naturæ moditum attolluntur, cum tensione, calore, & dolore. Ideo qui ea afficiuntur, ob leviſſimum tactum, dolent, ac motum omnem formidant. Si per se movere incipiant, cito calidiores evadunt. Additur à nonnullis, his tribus, quarta Lassitudinis differentia, quæ exsiccativa & gracilitatis vocatur; Et excitatur præcipue, in corporibus, boni succi, & exercitationibus, non assuetis cum immodicè exercitata, parum ritè, Apotherapia vsi sunt. Quippe ita digerunt omnia excrementa, & quæ fuerunt tensa, relaxantur,

vt aliud in corpore nihil relinquatur, quàm siccitas, & ex ea nata gracilitas. Quod si præterea, aliquid caloris subsit, de febre, metus erit in hac quia citra sensum molestiæ, in partibus, musculi tantum exsiccantur, corpusque squalens, contractum & ad motum pigrum conspicitur, Lassitudo propriè non erit, sed vt scribit GAL. CAP. 5. LIB. 3. DE SANIT. TUEND. Affectio ei similis, & quasi Lassitudo.

Ex Simplicibus his differentiis, oriuntur compositæ. Nam si tres sint simplices, ex duabus copulatis, erunt tres compositæ. Et ex omnibus; in vnum coëuntibus, quarta. Ac pro-inde in vniversum, septem. Sin quatuor statuantur simplices, quin-decem erunt. Vtrum Lassitudo per exercitatione, sit vlcerosa, tensiva, aut Phlegmonosa, ex relatu patientis, facilè deprehenditur. Nam in vlcerosa, ad-est sensus, quo quasi acuum, atque infixarum carni, cutique spinarum, soboritur, doloris cujusdam species. In tensiva, citra punctionem, corporis moles, tendi, contrahique videtur. In Phlegmonosa habitus corporis, in majorem molem tollitur, cum tensione, dolore, & calore, in affectione illa quæ Lassitudo gracilitatis dicitur, corpus exsuccum, squalidum, & contractum, apparet: Moleque quam

pro nat

prò natura minus. Laſsitudo quæ exercitiones ſequitur, facilius multo tollitur, quam Spontanea. Et curatur, per ea quæ cauſæ contraria ſunt: Quare cum in vlceroſa, & Phlegmonoſa, cauſa ſit excrementum in habitu corporis, in tenſiva fibrarum tenſio: Ideo in vlceroſa & Phlegmonoſa ſcopus erit excrementum illud, per cutem evacuare, in tenſiva relaxare & emollire. Quæ omnia perficiuntur legitima Apotherapia vt ſupra dictum eſt, Cap. De Exercitiis.

Particulatim in vlceroſa Laſſitudine, tenuia acriaque excrementa, per cutim diſſolvunt, frictiones multæ, molles, cum oleo copioſiore, quod omnis aſtrictionis ſit expers. Quocirca in hoc caſu, optimum eſt oleum olivarum, dulciſſimum: Per ſe, aut ſi frigidior ſit humor, quod vi ſua, poros aperiat, vapores, & humores diſſipat; Quale eſt camomillinum, anethinum, ex viridi anetho, fricandum etiam plurimum eſt corpus celerrime. Quo nulla illius pars refrigeretur, & ociſsime excrementa digerantur. Crebræ autem frictiones, illis adhibentur, qui in cute, & ſub ea, majorem excrementorum copiam habent, & minùs molles, vt quæ in auguſtis poris contenta ſunt, facilius elidantur,

Verum interea tendendæ sunt partes, vt quicquid superflui, inter cutem & carnem residet, expellatur. Non raro etiam spiritus cohibitione, vtendum; Quæ non minima Apotherapiæ pars est Tandem si excrementa sub cutè nondum satis evacuata sunt. Adeundum Balneum aquæ dulcis calidæ, mediæ ferè temperaturæ aliæque vt supra dictum est quæ ad Apotherapiam requiruntur molienda.

Secundo Lassitudo tensiva, quæ per exercitia evenit, submonetur relaxantibus, cutemque emollientibus, quod fit, frictione pauca, mollique, cum oleo dulci, egelido, sive nec frigido, nec calido: Item Balneo, aquæ dulcis, pluscula aque mora, in aqua modice tantum calida, vnctioneque à Balneo, ac postero etiam die, cum è cubili surgunt imperanda his aliisque Lassitudine quacunque vexatis, quies intermissioque laboris.

Tertio Lassitudinis Phlegmonosæ, si ab exercitationibus insuetis, & vehementissimis orta sit: Sanationis consilium, vt omnium Phlegmone obsessorum, ad tria dirigi debet: Nimirum super-vacanei excrementi, sub cute expulsionem, partium tensarum, remissionem, & inflammationis refrigerationem. Quare in hoc affectu illa omnia conveniunt, quæ id Lassatum est,

eſt, quiete & linimento recreant, & quod ſuperuacaneum, Eſt per halitus digerunt: Vt frictio molliſſima, longaque cum oleo dulci, copioſo, & tepido; Sed minus quam in vlceroſa. Diuturnior mora in aqua dulci medii temperamenti.

Quarta illa affectio quæ Laſſitudini tantum ſimilis eſt, & gracilitatis vocatur. Si per Exercitationes incidat, corpus nutriri, ſimulque madefieri, poſtulat. Quorum vtrumq; & humido Alimento facile acquiritur, vt poſt dicetur. Galen. Præter ea quæ prius explicata ſunt de Apotherapia in genere, primo die labrum aquæ ferventis, aut repidæ calidioris, præſcribit, quæ ſenſim contrahit, calefacit, & cutim roborat. Secundo Apotherapiæ exercitationem quæ fit motu & frictione pauca molli tarda: Item ſolio aquæ ferventis; poſt ſi vires ferant, in aquam frigidam repente exſiliant, brevique in ea ſubſiſtant: His enim cutis denſatur, robur acquiritur, & vt Alimenti minordiſſipatio, ſit prohibetur, &c. Omnes qui Laſſitudine infeſtantur boni ſucci nutrimentum poſtulant. Verum qui vlceroſa, poſt legitimam Apotherapiam, Alimentum conſuetum aut parcius atque etiam humidius: Qui tenſiva, minus quàm vlceroſa, qui vero Phlegmonoſa om-

nium, tum humidissimum, tum minimum, atque etiam quod refrigerantis quidpiam habeat. Cavendus tamen in vlcerosa & Phlegmonosa. Cibus glutinosus seu quæ excrementorum digestionem morentur. Licet in tensiva ejusmodi Alimentum concedatur: Sed minuto ejus modo quantitateque.

Peculiariter Lassitudo illa, quæ gracilitatis appellatur, vt quæ exhausto humore, exsiccata sunt, reficiantur, pleniore cibo eoque humectante indiget. In compositis Lassitudinibus, cum plures affectus, invicem complicantur, veluti quando Phlegmonosa, cum vlcerosa, aut vlcerosa, cum tensiva, accommodata est Apotherapia; Quæ vtramque respicit; Magis tamen eam, quæ major est. Hæc autem consideratur dupliciter: Uno modo, juxta vires, & dignitatem: Alio ex propria cujusque essentia, vt recedit à naturali habitu. Virium & dignitatis ratione, major est est Phlegmonosa, quam vlcerosa, licet vtraque respectu propriæ essentiæ, magna, aut parva esse queat, provt à naturali statu, magis aut minus, recedit. Quare si secundum essentiam, pares fuerint; Certum est, Phlegmonosæ, vtpote dignitate præcellentis; Majorem curam, habendam esse: Sin inæquales, vt fortè quantum, Phlegmonosa dignitate, tantum vlc

tum vlceroſa, propria ſua eſſentia, vincat: Ambabus pari cura, reſiſtendum erit. Similis ratio eſt in cæteris. Complicantur autem Laſſitudinum differentiæ, non ſolum inter ſe, ſed etiam cum aliis corporis affectibus; Cujuſmodi ſunt, στύγνωσις. Nimirum cutis aſtrictio, conſtipatioque. Item corporis laxitas, raritas, frigiditas, ſiccitas, humiditas, &c. Quæ interdum exercitationes & venerem, aliquando crapulam, vigilias triſtitiam, cruditates, & ſimilia ſequi ſolent. στύγνωσις proprie eſt, occluſio ſive aſtrictio quædam, pororum, meatuumque cutis, tranſpirationem impediens.

Occluduntur dupliciter: Aut obſtructis, aut denſatis meatibus. Obſtructio fit, ex craſſis, lentis excrementis, atque etiam crudis humoribus, cum ad cutim ruunt confertim impulſi vi excretricis viſcerum; Aut incitati, & attracti intempeſtivis Balneis, frictionibus exercitiis, poſt cruditates, crapulam, craſſorum ſuccorum redundantiam, in venis quæ omnia pravam victus rationem conſequuntur. Denſatio vero, ſive conniventia pororum, GRAECIS μύσις. Oritur proprie, à cauſis externis, nimirum ab iis, quæ extrinſecus refrigerant; Ut aëris frigiditas, aut adſtringunt & deſiccant; cujuſmodi ſunt Balnea alu-

minosa, &c. Ideo obstructio meatuum cutis fieri non solet, si ad præscriptam rationem in victu exercitiis, & similibus vivatur: At densatio, nonnunquam accidit, etiam nobis ignorantibus. Si post Balneum, sudorem, apertamque cutim, ex improviso vento, & aura frigidiori, corpus objiciatur. Densata aut obstructa cutè, transpiratio calidorum vaporum, & halituum, qui perporos, evacuari debent, impeditur: Unde nisi subveniatur necesse erit ex illorum retentione febres putridines, aliaque pernitiosa mala suboriri. Obturatio cutis, deprehenditur partim, ex causis evidentibus prægressis, Partim ex affectis, in corporis superficie conspicuis.

Nam nec color floridus apparet, nec sudor, vt prius erumpit, & si vel Balneo, vel quovis exercitio promoveatur, exiguus, frigidus, aut minus halituosus erit. Densatio vero, protinus dignoscitur, ex colore albo cutis, cum duritie & densitate: Tum etiam quod in ipsa exercitatione, non facilè incalescant. Præcesserintque causæ externæ, cutem densantes. Obstructio vero sese prodit. Quoniam plenitudinis, aut crassorum, lentorumque humorum indicia, in corpore, sunt manifesta. Obturatio cutis, à quacunque causa proveniat, quia transpirationem prohibet,

hibet, Morbum portendit; Nisi maturè obviam eatur. Verum minori cum negotio, cutis densatio, quàm obstructio, tollitur: cum ea siquidem concurrit, frigitas, alias major, alias minor. Cujus remedium est calefactio, densitatis vero, rarefactio pororum, citra evidentem siccitatem.

Calefactio perficitur, vehementiori exercitio, Balneis calidioribus, vnctione olei, tenuis essentiæ, GALENO à Balneis calidis mora in solio frigido minima placet aquamq; nimis frigidam in hoc casu potissimum vitandam censet. Verum ante & post Balneum oleo dulci inungendos vult: Atque vbi cum densatione, magna frigiditas dominatur, oleo Irino, Samsuchino, Costino, Laurino, &c. Cutis autem densitati succurritur iis remediis quæ citra evidentem siccitatem relaxant. Cujusmodi sunt oleum Cammomillinum & Anethinum ex viridi. Anetho non sicco: Quod cum valentius discutiat & exsiccet, vt in vtile rejicitur. In hoc casu Acopon GALEN. ex semine Abietis commendatur. In densitate cutis ex adstringentibus, & deficcantibus, conferunt Oleum Lil. Alb., Amygdul. Dul. Lini. Ung. Atheæ Resumpti. & similia. Obstructio meatuum, detergentia, & aperientia postulat, quæ si à repletione, & copia

crassorum, lentorum, aut crudorum humorum, in vasis foveatur, crassities, attenuantia; lentor, incidentia; cruditas, concoquentia; copia, pro qualitate humoris, minuentia exigit. Quibus, quo pacto singula perfici debeant, sequenti Cap. in Specie, latius dicetur. Præparatis, & evacuatis humoribus in vasis, impactum, aperientibus, evaporantibus, & tergentibus. Educitur cujus generis sunt, ante Balneum, moderate calidum; frictiones molles, moderatæ, cum oleo calido, tenuis substantiæ; Quod vi sua, poros aperit, & super-vacanea attenuat, atque discutit. Cujusmodi est Sabinum, Cammomillinum, Anethinum, Irinum, Samsuchinum, Balneo egressis, adhibenda quæ cutem moderate detergunt, abluuntque. Hoc præstant, colatura furfuris, mulsa aquosa, farina hordii, fabarum ervi, cicerum. Validius vero, Iris, Serpentaria Aristolochia, Myrrha, mulsa Meracior, Nitrum, Spuma nitri, Borax, Mel. validissimè omnium sapo. De quibus infra latius.

De

De Lassitudine Spontanea, Cap. 16.



Assitudo quæ Exercitationes sequitur, Sanorum accidens est: Quæ verò citra eas, Spontè advenit, valetudinariorum aut corporum neutrorũ, quæ ad morbos inclinant, Symptoma est. Nam vt Hipp. Lib. 2. Aphor. 5. Spontaneæ Lassitudines, morbos portend unt. Quare consideratio, curaque harum, ad eam partem artis salubris pertinet, quæ in morborum præservatione consistit, & προφυλακτικὴ nominatur. Est autem Lassitudo Spontanea, Impotentia quædam motus, ob sensum, affectus dolorifici, in habitu corporis, excitati à causa interna. Sensus ille triplex.

Est ideo Lassitudinis triplex est differentia, vt superiore Cap. dictum est, nimirum vlcerosa, tensiva, & phlegmonosa: Distinguenda in harum singulis, sunt symptomata,

tum ab ipsis affectibus, tum ab eorum causis symptomata sunt, pigritia, sensusque molestia in partibus, affectus, continui solutio, videlicet erosio, tensio: Aut vtraque conjuncta. Causa est humor in habitu corporis, aut qualitate sua, partes sensiles, pungens, aut copia distendens, aut vtroque modo afficiens.

Nam vlcerosæ Lassitudinis, qua corpus seu vlceris sensu laborat, affectus est, mordicatio. Causa non plenitudo, sed humor acris, subtilis, effusus ex venis, in cutẽ, vel carnem, eas pungens, mordicans, stimulans. Humores isti excrementitii, aut ex sanguine minus cocti sunt. Aut magis, & quasi assati, vel à calore corrupti. Illi à GALEN. crudi dicuntur. Sed quibus, varia pituitæ genera, continentur. Hi vitiosi, communi nomine vocantur: Qui in corpore nobis, nil tale cogitantibus, ex mala victus ratione, aut prava viscerum dispositione, gignuntur.

Ideoque Lassitudo vlcerosa, cachochymicis, aut humore crudo refertis, maximè familiaris est. Verum humor tenuis, acrisque, nullatenus causa Lassitudinis censetur; dum in venis, sanguinis domino subjicitur, & à boni succi copia superatur: Sed dum ex iis in carnem, aut cutem partes sensiles transfertur:

& qui-

& quidem vel impulsus, à facultatè expultricè viscerum, vaporumque ad partes extrinsecas debiliores, tandemque ad cutem, omnium infirmissimam; Vel ab externis causis proritatus; Quales sunt exercitia, Balnea mora sub sole aliaque similia. Ut mox dicetur.

Distinguntur Lassitudines istæ, secundum magis & minus. Quarum causa. Vel est in discrimine excrementorum; Vel corporis affecti. Excrementorum autem differentiæ, sumuntur ab eorum situ, & copia, mordacitate majori, & minori, motu celeriori, & tardiori. Corporis vero affecti; A patiendi facilitate, & difficultate, virium robore, & debilitate, sensus acumine, & hebitudine. Nam si excrementum, solam cutem occupet, Lassitudo moderatior erit. Si carnem, vehementior. Sin vtramque atrocior. Omnium gravissima, si foveatur à cacochymia, aut cruditate in venis, totoque corpore. Deinde excrementum paucum, parum mordax, leviusculè motum, per partes validas, hebitis sensus, exiguum dolorem sensusque inæqualitatem efficit.

Præterea à modica & exili causa; Videlicet excremento pauco, minus acri, facillimè concitato, corpus debilè, acutissimi sensus, dolore corripitur. Robustius hæbetiusque nullam molestiam patitur. Semper autem cau-

ſa dolorifica mota, plus detrimenti adfert, quam quieta. Nam plerumque humor acris, in cute aut carne ſubſiſtens, quam-diu latet ſenſum fugit, vt primum movetur, vires exſerit, eoque magis, quo magis, concitatur. Si affectio ſi exigua, ex modico excremento, minuſque acri, qui ea laborant motus aliquos leviores ſuſtinent. Et interdum, paudiculatione, & oſsitatione tentantur: Quæ à flatibus & vaporibus naſcuntur. Quod ſi major evadat, ex cauſis vires acquirentibus; Ea detenti, omnem motum fotmidant. Et priuſquam aliquem ſubeant, magnam inæqualitatem; Si vlterius moveri tentent, inſignem dolorem, ceu vlceris per corpus, & horrorem perſentiſcunt. Si exerciantur, rigent. Atque hoc ſymptoma propriiſsimè Laſsitudo vlceroſa dicitur. Licet eadem appellatio cæteris tribuatur.

Nam cauſa mordax, ſive calida, ſive frigida, per habitum corporis, parteſque ſenſiles, delata, horrorem, aut rigorem efficere poteſt. Verum calidus humor, aut putridus, præter ea Febrem, frigidus, horrorem tantum autrigorem inducit. Ad motum incitantur humores quieſcentes: Vel cum ab ipſo ſenſili corpore impelluntur, quod ſua natura alieni à ſe expellendi vim habet: Vel cum à cauſis externis vehementius aguntur. Nam exerci-

tatio, Balnea, mora ſub ſole, atque ex paſsionibus animæ, ira, excrementa corporis, quæ deliteſcebant, calefaciendo, attenuando, & in ſpiritum vertendo, ad motum concitant.

Ideo medici, experientia edocti; Id conſilii dant, qui hoc affectu laborant, vt omni penitus motui valedicant. Compertum enim eſt teſte GALEN. non paucus cruditate laborantes, cum quieviſcent, nullo dolore cruciatos fuiſſe, in Balneo vero, aut ſole horruiſſe, atq; hoc magis ſi ſe exercitaſſent.

TENSIVAE Laſsitudinis Symptoma eſt Tenſionis ſenſus: Affectus ſolidarum partium, Tentio. Nimirum venarum, arteriarum in habitu corporis, muſculorum, & fibrarum. Cauſa affectus eſt Plethora, ſive ſanguinis optimi redundantia, aut ſuccorũ omnium æqualiter ſe habẽtium copia. Quæ partes, in quibus continetur, & ad quas tranſmittitur, diſtendit. Ideo hæc Laſſitudinis ſpecies, Plethoricis accidit. In quibus proventus eſt, boni ſanguinis, ad vaſa, vel vires redundantis: Ex pleniori, liberalique victus ſuppreſſa: Vel omiſſa conſueta ſanguinis evacuatione.

PHLEGMONOSAE, ſive contundentis Laſsitudinis, Symptoma eſt, dolor tenſivus, ſimul & punctorius, ſive ſenſus, quaſi Phlegmonis, aut contuſionis totam coporis molem, occupantis cum tumore, & manifeſto calore.

Affectus eſt partium, quæ in habitu corporis ſunt, tum tenſio, tum mordicatio. Cauſa plenitudo ſimul, & ſuccorum depravatio. Nam ex iiſdem cauſis conjunctim, ex quibus, duæ prædictæ Laſſitudines, ſeparatim naſcuntur. Ortum ducit. Ab immodica nimirum boni ſucci copia, & vitioſis, acribuſque excrementis, in corporis habitum, transfuſis, ex ſucco enim probo tranſmiſſo, partes tenduntur, muſculi, carneſque, in majorem molem attolluntur: Ob acrimoniam, punguntur, atque doloribus infeſtantur. Ut Phlegmoni perſimilis affectio ſit, & corpus quaſi contundi videatur. Quod ſi imo corporis, tendinibus, nerviſque communicetur. Illa Laſſitudinis ſpecies excitatur, quæ ὀξοχοπὸς nominatur.

Ex quibus apparet, quod Laſſitudo Phlegmonoſa, iis maximè eveniat, qui Plethora quadam Cacochymica tentantur; Humore ex venis in corporis habitum, abundè tranſmiſſo. Cauſæ autem Plethoræ & vitioſorum ſuccorum: Aliæ externæ ſunt.

UT Victus plenior, ex cibis multi, ſed non probi nutrimenti, omiſſio ac ſuppreſſio conſuetarum evacuationum; aliæ internæ vt corporis intemperies, ſibi ſimiles humores generans, &c. Quanquam Laſſitudo Phlegmonoſa ex iiſdem, à quibus vlceroſa, & tenſiva;

Non

Non tamen ex vtriſque, compoſita eſt. Nam in Phlegmonoſa præter tenſionem nervoſarum partium, vlceriſque ſenſum, ad-eſt major, quam pro naturali habitu, tumor, cum evidentiori calore, quæ in nulla prædictarum reperitur. Ex ſimplicibus Laſſitudinum differentiis, fiunt compoſitæ: Ut in præcedente Cap. Demonſtratum eſt.

Lassitudo Spontanea, Sitne cum ſenſu vlceris, tenſionis, aut Phlegmonis, ex relatione patientis animadvertere licet. An etiam ex accidentibus corporis laborantis, naſcatur, ſola Medici plerumque inſpectione indiget. Nam in Laſſitudine vlceroſa, cum ſenſu punctionis, corpus. Ferè vniverſum, vitioſo colore inquinatur. In tenſiva corpus tendi, pondereque gravari, cum colore rubeo, aut vivido conſpicitur. In Phlegmonoſa habitus corporis in majorem molem, cum tenſione manifeſta, calore, dolore, & colore vitioſo attollitur. Deinde ſucci Laſsitudinem efficientis, ſpecies deprehenditur, partim ex affectibus, in corpore apparentibus, & exeuntibus, partim ex cauſis evidentibus. Affectus conſpicui, maximè ſunt, color, poſtulæ, Exanthemata, qualitates tactiles. Ac primum, ſucci redundantis in corporis habitu, certiſsima cognitio, ex colore da-

tur. Cum illius mutationis cauſa, non ſint partes ſolidæ; Sed humores, in corporis habitum, diſperſi. Verum obſervandum ne ex colore, tum judicium faciamus, Cum ab externis, ſanguinem, ſpiritumque intro, aut foras præter naturam, impellentibus, mutatur. Valuti cum ab ambientis. Caliditate, frigiditate exercitiis Balneis item, animi affectibus, præcipuè ira, timore, verecudia, &c.

Humor Pro ſua natura qualitatem corporis variat, & alterat. Ideoque ſi corpus ſolito flavius evadat vitioſum redundare ſuccum demonſtrat. Si nigrius, melancholicum, ſi rubicundius quàm natura ſanguinis ferat dominum illius ſubeſſe ſignificat ſi rubor ad nigredinem tendat ſanguinem ferventiorem. Candidis, pituitam declarat: Sed ſi lividum, plumbeum, aut medio modo ſe habeat inter album & lividum crudorum ſuccorum proventum manifeſtat. Idem quoque oſtendunt qualitates tactiles, quæ dilucidè in toto corpore percipiuntur. Nam qui calidis replentur humoribus, magis calent; interdum poſt rigorem, febricitant: Quæ frigidis, frigent. Et ſine Febre, horrent.

Similite puſtulæ, Exanthemata tenuiora, ſi cum Laſsitudine conſiſtant pro ſua natura ſpeciem excrementi patefaciunt. Conſideranda imprimis

ſimprimis inter excreta ſudor & vrina: Quorum ille, ſuccorum, in habitu corporis contentorum naturam redolet. Hæc, diſpoſitionem humorum venoſi generis, indicat. Verum quamvis ex vrinis de ſuccis qui extra venas ſunt, ex ſudoribus, quæ venis includuntur, judicium ſæpè feramus. Inde tamen nil certi ſtabiliri poteſt. Differentiæ ſudoris, à multitudine ſapore & odore, ſumuntur.

Nam magna ſudorum copia, ſuccorum plenitudinem, vel corporis raritarem: Fœtidus, putredinem, flavus abundantiam bilis, deſignat. Salſus, pituitam ex putredine, ſalſam, acidus, pituitam acidam ſignificat: Amarus amaræ bilis copiam arguit. Odorem licet ex ſtrigili, dum lavantur deprehendere, ſaporem vero, cum ex fronte aliiſque ſupernis partibus, in os delabitur. Deinde qualis eſt humor in venis tale neceſſe eſt appareat ſerum lotiumve. Si bilioſus, bilioſum rufumque, ſi pituitoſus, pituitoſum album, ſi benè temperatus, concoctuſque concoctum. Contra ſi crudus pro cruditatis modo crudum. Optima perfecteque concocta vrina, eſt coloris ſubflavi, ſubſtantiæ nec craſſæ, nec tenuis: Sed mediocris cum Hypoſtaſi alba, levi, æquali. Quæ ab hac præter naturam recedit, vitioſa eſt. Dico præter naturam.

Nam ratione ætatis, ſexus, cibi, potus, aëris, aliarumque cauſarum, vrinæ non raro, ab optima recedunt. Quæ tamen propriè vitioſæ non dicuntur, cum ſint ſecundum naturam. Cruda vero vrina eſt aquoſa; id eſt, tenuis, alba, ſine vllis contentis, in ea, pendentibus, aut ſubſidentibus. Quæ ſequitur hanc, paulo craſsior pallidiorque eſt, & cum aliquo ſedimento, aut nubecula. Craſſæ vrinæ, magnam in vaſis omnibus, humorum redundantiam demonſtrant. Verum duplices ſunt. Aliæ enim pellucidæ; aliæ turbatæ, & opacæ. Craſſæ pellucidæ, craſsioris humoris ſolutionem declarant. Craſſæ turbidæ, jumentorum vrinis ſimiles, crudorum humorum in venis copiam, confuſionem, ac naturæ in ſegregando laborem, oſtendunt. Obſervandum tamen an cito, an tarde, turbentur.

Deinde an fiat vlla ſeparatio craſsi, à liquido: Aut nulla. Et ſi aliqua an brevi tempore, an longo. Item an quæ ſubſidunt ſint bona malave nam ſi vrina cum mingitur ſit pura; ſed protinus turbulenta evadat, naturam jam crudi ſucci concoctionem aggredi manifeſtum reddit. Sed ſi non confeſtim, ſed tractu temporis confundatur non jam, ſed poſt aggreſſuram indicat. Deinde ſi ſeperatio craſsi à liquido repente fiat; & quod ſubſidet, ſit alb

sit album, leve, æquale signum est naturæ victuis parum cruditatis, aut confusionis relinquentis. Si tarde & bonum sit, quod ad fundum delabitur naturam post succos separaturam. Sin nulla sit separatio aut quod subsidet, pravum sit. Succorum crudorum multitudinem, magnamque imbecillitatem designat. Quæ auxilio indiget, vt concoquantur. Dignoscitur etiam constitutio humorum ex excrementis. Alvi, aliisque. Ac interdum ex pulsu.

Similiter ex causis progressis, præsentibusque de succi redundantis specie conjectura licet cognoscere. Causæ illæ, vel internæ sunt vt intemperies totius corporis, aut viscerum, quæ ex optimo etiam Alimento succum malum producere solet. Deinde Victus pravus ex cibis improbi succi, & intemperatis ebriëtas, crapula, &c. Tertio suppressi alicujus consuetæ evacuationis, per alvum: Item purgationes quæ solent arte fieri intermissæ. Accedit his constitutio aëris, temporis, anni, & loci consideratioque, cæterarum rerum non naturalium, vt exercitiorum, somni, vigiliarum, &c.

Nam Pro nutrimenti qualitate, & natura, succi in corpore generantur; Ac pro viscerum dispositione. Ideo animadvertimus non

paucos; ob intemperiem partium, aut pravam, Victus rationem, corruptos humores, facillimè congerere. Quales plerumque ſcabiè, pruritu, aliove cutaneo affectu, laborant. Deinde omiſsio ſuppreſsioque conſuetæ evacuationis corpus ſuperfluis excrementis replet.

Præterea ſomnolenti, ocioſi, ſucco pituitoſo ſcatent. Præcipuè hyeme, multis laboribus dediti, bilioſum, aut melancholicum producunt: Illum æſtate potiſsimum, hunc autumno. Præcipuè ſi labores diuturniores fuerint. Inſuper exercitationes quæ cum ſudore fiunt, craſsius excrementum, quæ ſine eo, tenuius maximè hyeme reddunt. Conſiderandum etiam, an malus ſuccus, ſit in habitu corporis tantum. An ſimul intra venas. Item an cum boni ſanguinis copia: Aut inopia: An intra venas: Nullum evidentius ſignum habemus quam vrinas: Colligere tamen aliquod licet ex prægreſsis cauſis vt ſupra.

Deinde cum multa vitioſa, aut cruda materia, eſt in toto corpore, vaſiſque omnibus Laſſitudo maxima, inſigniſque gravitas ſentitur, ſenſuſque doloris eſt non ſolum in cute; ſed etiam in alto corpore. Urinæ turbulentæ fiunt, ſudores, à quibus æger non levatur. Si corruptio aut cruditas ſit in primis venis, ventriculoque, aderunt ructus acidi, aut fumoſi, mappe-

mappetentia, præcordiorum inflatio; & ſi quid comeditur, vel bibitur, in halitus facilè convertitur. HIPP. Sententia eſt 2. APHOR. 5. LASSITUDINES Spontaneas Morbos prænunciare: Cum enim morborum cauſæ internæ, præſto ſunt, morbi ſunt expectandi: Deinde in ſpeciè tenſiva Laſſitudo facilius curatur, quàm vlceroſa. Omnium ægerrimè Phlegmonoſa: Quæ periculoſiſſima eſt.

NAM Paucis horis nedum diebus teſte GALEN. & ERASTRATO: In eodem tenore conſiſtit. Et niſi maturè Phlebotomia ſubveniatur, Febrem vehementiſſimam accendit. Difficulter removetur, vlceroſa à copia excrementorum vitioſorum nata: Ægrius ſi cruditas cum pravo ſucco, in toto corpore omnibuſque, vaſis fuerit complicata. Laſſitudines ſpontaneæ, quæ nil aliud ferè ſunt: Quam diſpoſitiones morbificarum cauſarum in neutris, ad morbos inclinantes: Quos ab initio tantum præcedunt. Verum putreſcente materia, auctiſque obſtrictionibus producunt, Ideoque pro natura vniuſcujuſque humoris morbos peculiares præſagiunt. Sicuti vlceroſa Febres putridas, tam continuas, quam intermittentes ἐρυσιπελατα, &c. Tenſivæ vero Synochos ſine putredine, inflamma-

tiones, pleuritides, anginas, vasorum aperiones, disruptiones, hæmorrhagias, obstructiones, &c. portendit. Phlegmonosa, Febres ardentes, pravas, malignas, venarũ interceptiones, & si supra vires sit redundantia, calores nativi suffocationem; Subitamque mortem adesse significat.

Curatio Lassitudinum Spontanearum, perficitur per contraria causæ. Quæ in habitu corporis est, succus, vel qualitate erodens, vel copia distendens, vel vtroque modo afficiens. Ideo prima indicatio erit materiam illam per cutem evacuare sive evaporare: Sin exuberet & ab interiore causa, nimirum cacochymia: Aut plethora fomitem accipiat. Hanc venæ sectione levare; Illam alteratione seu concoctione, ad meliorem statum revocare: Vel si fieri nequit, per debitas vias purgare. Deinde quod est in habitu corporis educere, omnemque intemperiem è medio tollere.

Initium autem sumemus, à Lassitudinibus vlcerosis, quibus remedium adhibendum, pro cujusque differentia, juxta naturam succi peccantis, qui vel exiguus est in cutè tantum collectus: Vel copiosior, non solum in carnibus, sed etiam in vasis residens, quando nimirum sanguis impurus: & crudus, vel bilios us est, &c. Ac primum accidit interdum juvenibus, salubri

lubri victui, debitisque exercitiis assuetis, vt longi temporis iter conficientes, cibis, & potionibus impribis vtantur; sed non vltrà modum, vt non in cruditates incidant; sed aliquid saltem mali succi congerant, qui paucus omnino est. Et vlceris sensum tantum, cutè tenus efficit. Ideo correctionem aut evacuationem prolixam non requirit. Sed vt vlcerosa quæ exercitationem sequitur, solam Apotherapiam; Et accommodatam victus rationem postulat. At si juvenis sit qui in cruditates incidere plerumque solet, & sensum vlceris, altius in corpore percipit, necessario totius corporis habitus excrementis refertus est.

Quare ab initio nec exercitationem, nec motum vllum: Sed quietem, somnum, à cibis abstinentiam, per integrum diem, vesperi pinguem inunctionem, temperatumque Balneum, si consuétudo ferat injungemus: Pro cibo, sorbitionem aliquam boni succi, sed planè quam minimam offeremus. Vino tamen non interdicemus. Nam si quid aliud semicrudos humores mitificat: Quin etiam sudores, & vrinas movet. Quibus omnibus vtiles natura, semicocti redduntur aut quod superfluum est evacuatur. Si peractis his malum prorsus remiserit ad consueta munia paulatim

reducendi sunt quod si in posterum etiam diem remanserit, de Valentiori remedio cogitandum erit. Maximè si sensus vlceris augeatur, noctuque vigiliis, aut insomniis turbulentis; atque etiam mappetentia infestantur, interim habita consideratione: An per se, aut cum sanguinis boni, copia, vel inopia consistat: Item an humor ille sit omnino crudus: Vel semicoctus aut à sanguinis natura parum multumve degressus. An biliosus, vel à calore corruptus.

Nam si vires constent his, aut phlebotimia, aut purgatio admodum commoda erit. Si debiles fuerint. Vena non erit tundenda: Sed purgatio levis tentanda. Si adsit Plethora initio vena secanda: Aut aliquid agendum quod tantundem virium habeat, vt suppressa sanguinis consueta evacuatio, per hæmorrhoidas, vterum, nares revocanda. Deinde venter subducendus, medicamento. Humori maximè convenienti: Sed in his ratio est habenda, imprimis succi redundantis; Ideoque si bonus sanguis, copiosus sit. Humor vitiosus, paucus, audacter sanguis detrahendus; deinde leviori cathartico evacuandus. Quod si quis propter ætatem, aut timiditatem, Phlebotomiam non admittat: Huic largius dejicienda est alvus. Sin contra succi mali sit copia, magna, sang

na, ſanguinis pauca, à venæ ſectione abſtinendum ſolumque purgandum ſimiliter ſi receſſerit parum humor à natura boni ſanguinis, confidenter vena ſecetur. Si multum, ſanguinis evacuatio prohibeatur.

Nam cruda poſt venam apertam minus coquuntur, corpore jam refrigerato. Bilioſi vero magis efferveſcunt ſanguine ſublato, qui frænum bilis appellatur. Sola venæ ſectio Plethoræ per ſe ſubſiſtentis, ſicuti cacochymiæ, purgatio remedium proprium eſt. Ubi vero permixtæ ſunt mixta ſuaque remedia locum habent. Et ſi æquales, æqualia quoque. Si major fuerit Plethora, quam cachochymia, largior debet eſſe ſanguinis detractio, contra ſi major cachochymia, purgatio. Quæcunque autem vtriuſque, inter ſe, ſit proportio, à Phlebotomia ſemper auſpicandum: Sine qua purgatio humorum, ex venis tuto, & commode obſtructis, quos liberos & apertos eſſe decet: Dum Catharſis inſtituitur: Nihilominus ſi impuritas ſit in ventriculo, primiſque venis, conſultum erit à levi evacuatione, initium ſumere, alvumque lenienti clyſtere, aut medicamento benigno, ſubducere ne venæ ſectione, ex prima regione, crudi aut vitioſi humores, in majores venas, rapiantur. Præterea ſi ex ſignis prædictis innoteſcat multos, mor-

daces succos, in habitu corporis, adesse Lassitudinem excitantes: Sed in venis magnam semicrudorum humorum copiam, qui à sanguine parum recedunt: Tum primo quoque tempore sanguis educendus, id enim fieri debere indicat plenitudo.

Deinde humor visiosus medicamento idoneo amoliendus: Si detractionem sanguinis averſetur liberalius Cathartico vtendũ. Quod ſi neutrum admittatur alia via; ſed minus compẽdioſa, ad ſcopum contendendũ eſt cum enim in hoc caſu duo ſint præcipua, quibus nos intentos eſſe opportet. Quorum primum eſt ſemicrudorum humorum concoctio: Alterum humorum mordacium evacuatio, & quantitate peccantium ad mediocritatem reductio. Ad hæc lentè perficienda, commendatur primum inedia; ſed non in corpore impuro, quia ventriculum plerumque vitioſis humoribus replet, vnde ſtomachi eroſio vigiliæ, &c.

Nec in aliis immodica quæ ſubſtantiam partium viriuḿque conſumit: Sed moderata parcimonia cibi tantum, quæ morbos ex cruditate futuros arcet, eoſdeḿque recentes ſanat, & inveteratos, concoctione longa profligat. Nam ob nutricatus inopiam ſubſtracta conſueta alimonia, Calor nativus invaleſcens,

valeſcens, crudos humores conquoquit, vtiles in ſubſtantiam convertit, ex ſupervacaneis tenues inhalitus diſſipat, craſſos attenuat, & ad expulſionem idoneos reddit. Idem quoq; otium, & ſomnus præſtant.

Nam nil æquè crudos humores benignos reddit, & mordaces per halitum digerit: Atq; ſomnus, ad quem plerique à Balneo propendent, placideque ineunt. Quod non ſolum cauſa, verum etiam optimum ſignum eſt ſperatæ vtilitatis, & ſalutis. Sicut contra à Balneo non dormire, aut turbulente, malum tum ſignum, tum cauſa. Nam acres vapores, ad cerebrum elatos, vigilias excitantes, aut vires copia. Crudornm gravatas ſignificat. Vigiliæ vero, quod cruda non concoquantur & vitioſa minus digerantur præſtant. Cum igitur primo die Laſſitudo non ſanatur; ſed patiens magis poſtea gravatur, GALEN. Secundo atque etiam ſi iterum, ac tertio opportere videat jejunum in Balneum aquæ ducit, ſemper lavans, & lotionibus otium ſomnumque interponens.

AD Victus rationem quod attinet, Balneo, ſomnoque præmiſſis, cibus exhibetur quantitate paucus, qualitate boni ſucci, parum nutriens; Simulque attenuans, & abſtergens. Ob plenitudinem ſiquidem, & cruditatem, libe-

rius alere non convenit; ſed potius de conſuetis plurimum detrahere expedit. At omnino à cibis abſtinere noxium eſt. Quod faſtidium pariat, vitioſum humorem commoveat, ventriculum, vireſque offendat. Danda igitur primo die ſorbitio ſimplex, pauca quantitate, excremore ptiſanæ, GALEN. Probatur ſorbituncula, ex halica præparata, cum aceto, & porro quæ hodie non eſt vſitata. Ejus loco poteſt inſervire, pulticula ex avena decorticata, vel panatella ex jure pulli. Vel decocto paſſularum & prunorum. Panis vero ſit triticius non vſque adeo purus; & fermentatus, in furno coctus, nam ob paucos furfures modice nutrit, & aliquantulum abſtergit. Ex oleribus commendatur ſola lactuca. Ex piſcibus ſaxatiles carnis mollis, & friabilis: Cocti ex jure albo.

Inter aves perdices, turtures, pulli gallinacei, aviculæ montanæ, fugiendæ paluſtres ac carnes craſſi, aut glutinoſi Alementi difficilis concoctionis. Condimenti loco adduntur porrum, acetum, anethum; item piper, zinziber, cinnamomum, macis; quibus parcius vt tantum concoctionem juvent, non vt ſanguinem calefaciant indulgendum ideoque diuretica, quæ fundunt & liquant non exhibentur, præcipuè initio. Pro potu laudantur, quæ attenuant

tenuant, & abſtergunt, vt hydroniel, oxyſacchara, firupus acetoſus, vinum album tenuè, ex cerviſiis vſitatis, quæ ſubſtantiæ ſunt tenuioris. Atque hoc modo eſt procedendum, vſque dum vrinæ concoctæ, nulluſque amplius Laſſitudinis ſenſus appareat.

Præterea ſi cum vlceris ſenſu, ex ſignis prædictis conſtet boni ſanguinis parum; crudorum vero plurimum, in venis majoribus adeſſe; nec vena ſecanda, nec purgandum, nec exercitatio motuſve vllus ante Balneum imperandus. Nam venæ ſectio bonum ſanguinem evacuat, & crudum humorem, ex hypochondriis in totum corpus deducit. Purgatio vero, tormina, animi deliquia aliaque graviſſima Symptomata excitat. Nec quidquam notatu dignum evocat. Nam crudi ſucci ob craſſitiem, & frigiditatem ad motum, inepti ſunt: Et dum moventur, lentore ſuo, vias obſtruunt, alteriuſque materiæ purgationem ſi quæ fieri queat impediunt. Ideo HIPP. concocta medicari præcipit, non cruda, niſi turgeant: Ut alibi latius dictum eſt. Nihilominus ſi in ventriculo, primiſque venis magna ſit crudorum humorum redundantia. Pervtile eſt medicamento benigniori, aut clyſtere, alvum ſubducere; ſed non perfectam purgationem moliri, nec Cathartico determina-

tos humores è venis educere: Nam alvum fluere vnicum remedium eſt cruditatis, Authore Galen. Lib. De Facult. Alimentorum. Vomitorium locum interdum habet, cum Cacochymia in ventriculo primiſque venis conſiſtit: Et alias regiones non occupat. Ideo in hac affectione non convenit: Siquidem conſultum non eſt quæ intra ſunt extra: Et qua extra, intra violenter pertrahere: Sed ſingula per convenientia loca evacuare, & quæ foris ſunt, leniter per halitum educere, quæ intus, attenuare, & concoquere.

Praxagoras tamen poſt mulſum, cum hyſſopo. Vomitum probat: Quia crudos citra Laſſitudinem ſuccos evacuat. Præterea exercitationes, frictiones Balnea, & ſimilia: Iis quibus eſt in primis venis crudorum humorum proventus, nocivæ ſunt: Quod priuſquam concoquantur, in corpus deferantur. Ideoque omni-modo quies his ſalutaris eſt, & diæta multo tenuior, quam in ſuperiori caſu. Nam quemadmodum humores concoctos, cibi parcimonia depaſcit, & attenuando diſſipat: Ita crudos, inedia, aucto calore nativo, concoquit, digerit, obſtructa aperit, & ad faciliorem exitum præparat. Ideo multa abſtinentia his confert. Offerantur tamen quæ crudam,

crudam, craſſamque, materiam citra manifeſtum, Calorem attenuant, & abſtergunt, ſubſtantiæ magis tenuitate, quàm caloris vehementia: Hujus generis ſunt Oxymel, Hydromel, Apomel, ex Aqua in qna favi fuerunt macerati. Aqua mulſa, ſirupus acetoſus, ptiſana cum mulſo exiguo: Aut ſaccharo dulcorata, paſſulæ decoctæ, cerviſiæ mediæ, tenuioris ſubſtantiæ, &c. Quia vero in his plerumque præcordia turgent: Atque edulia facilè in flatus convertunt: Ideo ſuadet GALEN. Cum cibo, aliquid Piperis longi, aut ejus loco nonnihil albi, vel nigri ſi deſit, exhibendum.

Nam craſſos halitus diſcutit cruditates concoquit, & ſupervacanea ad infimum ventrem depellit: Non tamen vis ejus vltra primas venas plerumque tranſit: Niſi jecur ſit calidius, cujus vt evitemus noxam: Integra Piperis grana, aut craſſiuſculè centuſa deglutienda ſunt. Nam tenuiſſimè cribrata, longiſſimè, & facillimè diſtribuuntur, In eoſdem vſus laudatur Zinziber, aceto maceratum. Deinde ſaccharo conditum: Cujus vis licet altius quam Piper penetret, crudos tamen humores, ex ventriculo promptius evacuat.

Plurimum cõmendatur diaſpoliticum nam flatus egregiè diſſolvit, ventremque emollit

cum Ptisana, & per se ante postque cibum. Similiter Diatrion Piperion simplex GALEN. exhibeantur etiam condimenta, quæ citra insignem calefactionem attenuant, & incidunt vt cappares ex Oxymelite Oxylæo, &c.

His & similibus tamdiu insistendum: Donec succi crudi attenuati fuerint, atque tum demum vinum album, tenuè, aut fulvum, aut crassum, rubrum, aut nigrum propinandum. Nam ad concoctionem celebrandam plurimum facit, vrinasque movet atque hoc tempore percõmodum quoque erit mulso aliisque potionibus Hysopum Origanum, &c. Infundere si in melius se habeant lavare, corpusq; molliter fricare, & separatione in vrina facta, frictiones augere, vnguenta digerentia applicare: Atque ita ad consuetas evacuationes sese accingere. Prodest etiam in progressu Dianisium Diagalanga Diacuminum: Sed ante compositionem semina calida in aceto maceranda.

Sedulo interea cavendum ne vsu calidorum sanguis ferveseat, humorumque crudorum in corpus distributio fiat. Accidit insuper nonnunquam qui nulla recenti cruditate laborant, vt in majoribus venis; crudi aliquid, collectum habeant, quod ob vrgentia negotia, immodicus labor, calorque avenis, in cutem carnemque

carnemque rapit vlceriſque ſenſum inducit. In hoc caſu quia ſuccus crudus in ſolidis partibus eſt: Ideo danda ſunt non vt ſupra quæ totum intra primas venas colorem ſuum conſervant: Sed quæ ad catem etiam tranſmittunt. Cujuſmodi medicamentum eſt Diacalamentum, quod validè penetrat, craſſa attenuat, lenta incidit, eaque in halitum per cutem evacuat. Ac ſimul vrinas, menſeſque movet. Uſus hujus aliorumque quæ vehementius in corpus diſtribui debent, ſit ante cibos, nec cum iis, nec ſtatim poſt.

Nam quæ ita ſumuntur non diſtributioni, ſed concoctioni ſubvenire debent. Proſunt & hic quoque exhiberi puſſunt duretica moderatè calida, in progreſſu etiam quæ concoquunt, ſimul & ſudores movent. Ut Theriaca, Mythridatium, Aqua-vitæ, ſpiritus Theriacalis: Decoctum ligni ſancti, radicis Sarſaparillæ Chynæ, &c. Datur autem Diacalamenthum; & ſimilia mane poſt frictiones, ſed ante exercitationes, & balneum. Fricandi autem præcipuè ſunt mane, cum ſurguunt, à ſomno largius cum Oleo, quod relaxandi vi pollet vt Cammomillino, Anethino, &c.

Deinde interpoſita quietè: Poſtea lenis deambulatio, modicave exercitatio fiat: Verum multa frictione cum Oleo vtantur: Hinc Bal-

neo modice calido. Cibi, & Potus, ſint boni ſucci, minimeque glutinoſi: Sed extenuandi facultate prædíti quorum materia ſuperius eſt propoſita.

Poſtremo ſi cum vlceris ſenſu copia crudorum humorum ſit tum in venis primis, & majoribus tum in extremis totoque corporis habitu, vt miſcẽtur, prædicti affectus ita temperanda ſunt remedia in præcedentibus caſibus propoſita: Sed adhibito certo modo, & ordine. Nam ſi affectus pares ſint paria debent eſſe remedia: Sin alter magnitudine vincat, ejus maxime habenda ratio, altero non neglecto: Auſpicandum ab eo quod vrgentius eſt, & cauſæ rationem habet. Veluti à cruditate in primis venis quæ quaſi fons eſt, ex qua cruditas in reliquas manare ſolet, & initio Deaſpoliticum, vel Diatrion, Piperion, vel Theriacam dabimus. Ac procedente tempore, diminuta cruditate primarum venarum, Diacalaminthum augebimus; Eaque ſublata, ipſum ſolum exhibebimus par ratio in cæteris remediis victuſque ratione inſtituenda.

Præterea Tenſionis Laſſitudo quæ ſine exercitiis, à plenitudine potiſſimum ſolidas partes, diſtendente ſuboritur: Proprie ſanguinis detractionem evacuationemque indicat. Evacuatur autem ſanguis, vel evidenter, vel obſcure

ſcure evidenter, aut confertim copioſeque venæ ſectione: Aut ſenſim crurum & malleolorum ſcarrificatione. Obſcure minuſque inſenſibiliter inedia, cibique parcimonia, Balneis, exercitationibus, frictionibus, & Medicamentis digerentibus. In ſalubri quidem natura hac Laſſitudine laborente: Licet interdum quacunq; via ſanguinis redundantiam. Tollere aut minuere in aliis præcipuè vero in vitioſis naturis fieri nequit.

Nam ſi alio quam venæ ſectione in his ſanguinem evacuare ſtudeamus in ſummum diſcrimen plerumque adducimus audacter itaq; in his ſecanda vena eſt idque maximè ſi inſtet aut præſens ſit Synochus: Aut alius à plenitudine affectus; Educenduſque ſanguis ſi vires ferant copioſiſſimè & interdum etiam ad amini deliquium. Eo ſiquidem detracto minuitur primum copia, ſervata humorum proportione, quæ prius ſecundum naturam fuerat.

Deinde corpus eventilatur, refrigeratur, & recreatur, atque ſi quid aliud redundaverit, ſola naturæ vi: Vel alvi ſpontanea dejectione: Vel vomitione, vel per ſudores, facilè expellitur ſi tenſio ſit. A flatuoſis, vel vaporoſis excrementis niſi aliunde foveatur cito evaporantibus tollitur.

Postremo Lassitudo spontanea quæ Phlegmonis sensum representat, teste ERASISTRATO ne paucis horis, multo minus diebus in eodem tenore perseverat, sed Febrē vehementem accersit, nisi venæ sectione, maturè subveniatur. Tunditur autem communis, si totum corpus pari modo afficiatur; superiores pares maxime, quæ supra claviculam sunt: Cephalica sive humeraria si inferiores hepatica sive axillaris. Detrahi autem debet sanguis quamplurimus quia calidissimus copiosissimusque est, & si nil prohibeat, etiam interdum ad animi deliquium licet. Tutius nihilominus est initio minus, & per intervalla eodem die sectionem repetere: Aut secundo interdum etiam tertio.

Cum enim Phlebotomiá per se venas exhauriat: In hoc autem malo, sanguinis calidi copia, in habitu corporis congesta quoq; sit: Post apertam venam tantum temporis interponendnm est, vt ex habitu in venas aliquid remigret: Nam venæ exinanitæ, vndequaque novum rursus humorem attrahunt. Qui cum evacuari debeat, vt-pote ex, parte aliqua corruptus: Venæ sectio, iterum atque iterum etiam si necessitas exigat renovanda est. Videndum tamen est ne primo tantum sanguinis educamus, vt animi defectu

periclitetur; exſoluatarque vt ſequentem Phlebotomiam ferre non valeat: In qua ſi Lypothimia contingat magnopere timenda non eſt. Qui vero hoc pacto affecti parum ſolliciti de ſanguine mittendo fuerunt ſi evaſerint vtique fortunæ beneficio vt ſcribit GALEN. id acceptum referre debent. Sed nec id poſsibile videtur niſi alia quadam ratione leventur vt Hæmorrhagia, largo ſudore, &c.

Poſt ſanguinem eductum, paulatim ſunt reficiendi modico Alimento refrigerante, boni ſucci. Nimirum primo cremore Ptiſanæ, potu aquæ ſimplicis, aut hordei aut Cerviſia tenuiſsima. Secundo die eadem ſit diæta quæ ſi videatur ingrata jus pulli alteratum lactuca, vel panatella interdum piſces ſaxatiles ex jure albo ſimplici exhibeantnr ſecundo quoque die lavare, & copioſo oleo inungere profuerit.

Tertio verò ſi vino aſſueti ſint, & aquæ potum abhorreant, concedatur album tenuè, aut multa aqua dilutum: Vel Cerviſia tenuis. Laborandum imprimis eſt, vt ſenſim minutimque renutriantur: Nam qui vena ſecta, ad priſtinam Diætam protinus revertuntur: Aut multo cibo ſtatim reficiuntur, neceſ-

se est plurimum crudi succi, non tantum in venis; Sed etiam in corporis habitu, colligatur.

Quia venæ vacuæ sanguinis detractione, vehementius ex ventre trahunt. Qui ob immodicum Alimentum minùs coucoquit, & facilius trahentibus venis concedit.

Ideo venæ crudos succos ad se rapiunt, ex illis, habitus corporis, vnde Cachexia, Hydrops, aliasque Malorum.

De

De Animi perturbationibus, Cap. 17.

ITA pendet corpus ab Anima, vt nisi hæc integra Sanitate fruatur, illud non levia nocumenta patiatur: Ideoque inventor Medicinæ APOLLO, non HIPP. Quamvis ex sua stirpe natum, verum SACRATEM, omnium mortalium sapientissimum indicavit. Nam quantum ille corpori, tantum hic animo medendo, operam navavit. Quare Medico, Sanitatis tutori, maxime vtilis est, affectuum animi contemplatio: quorum quicunque sive in rationali, concupiscibili, vel irascibili parte animæ collocantur, si infra modum subsistant, vel eundem superent, valetudini maximum detrimentum adferant.

Functiones autem rationalis Animæ, quæ mediocritatis cancellos transiliunt: Sunt diuturnæ & intentæ cogitationes, de rebus subtilibus,

tilibus, omniſque vehemens mentis agitatio, citra relaxationem. Infra verò ſedem habent inſcitia, imprudentia, imperitia, deceptio, error. Concupiſcibilis, quæ in cibi, potus, rerumque venerearum deſiderio, verſatur, motus, longius vagantes, ſunt intemperantia, ſive guloſitas, ebrietas, edacitas, luxuria, effreniſque libidinis omne genus. Medium non attingunt prædictorum averſatio, aut quam minima in iiſdem delectatio. Iraſcibilis denique ſeu partis animoſæ πάθη μαλα; Quæ Animi affectus, & Perturbationes propriè dicuntur: A medio plus æquo digreſſa, ſunt iracundia, odium, gaudium profuſum, timor, triſtitia, verecundia, ſuperbia, &c.

Non eo vſque delata ſunt vacuitas ſenſationis, jucundi, aut ingrati, ſive triſtis noxiique, famæ, aut infamiæ, cum ſtupore, animique remiſſione, neglectus. Functiones mentis, quæ nullitenus ad medium accedunt, illius ſunt vitia: Sublimium tamen, difficiliumque rerum, aſſidua: Contemplatio, etiamſi valetudini ſæpe-numero officiat, animo tamen perfectionem addit. Motus verò facultatis concupiſcibilis ſive vltra, citrove, mediocritatem pedem figant; quia rectæ rationi non obtemperant: Sed contra inſurgant: Ad

gant: Ad vitia morum pertinent, & corpus præter naturam afficiunt.

Nam Animi functiones cunctæ, quæ modum accommodatum naturæ retinent, corpus in sua temperiè conservant. Quæ multum excedunt, magna ex parte calidius, siccius,& biliosius, efficiunt quæ verò infra sunt, frigidius, magisque pituitosum reddunt; vt scribit GAL. I. DE SANITAT. TUEND. CAP. 8. DE Functionibus partis Animæ concupiscibilis: Deque moderato vsu cibi, potus, veneriſque, supra dictum est abunde.

Restat vt hoc loco potissimum agamus, de motibus facultatis animosæ, iisque præcipuè qui Animi Perturbationes, & affectus propriè dicuntur. Inter res non naturales inevitabiles, quæ corpus nostrum alterant, & in quarum moderatione, conservatio Sanitatis consistit, à GALEN. CAP. 85. LIB. Artis MED. Numerantur παθηματα Latinis affectus, Perturbationes Animi, sic enim Cicero turbidos, concitatos, & aversos, à recta ratione animorum motus, vocat. Nam nobis à natura insitum est jucundis & gratis gaudere terribilia timere, à tristibus objectis, mærore affici, ab injuriis irasci, &c. Deinde liquido constat, affectus hos à speciè boni, aut mali, ad imaginationem, delata passione impulsuque;

pulſuque, caloris innati ſpiritū ſanguinemquē, (Animæ inſtrumenta) eoque violentius, quo vehementiores ſunt, ferri. Et vel extra, in gaudio, ira, & audacia: Vel intra ad caloris fontem; Idque ſubito in timore: Aut ſenſim, in triſtitia. Aut vtroque modo, ſive primum introrſum, poſt extrorſum, in verecundia: Quare nullatenus contemnenda medico affectuumconſideratio; Cum præſertim, atq; omnium maxime, ad id mentis aciem, dirigere teneatur, ne de Sanitate ſua, corpus affectionum procellis, impulſum, dejiciatur. Quarum moderatio, morumque emendatio, ad Philoſophum Moralem ſpectare videtur.

Nam ex GALEN. compertum habemus multos Sanitati reſtitutos, & ab imminentibus malis liberatos, ſolis Animi motibus, ad mediocritatem redactis; Quin & ipſe ÆSCULAPIUS vt triſtitiam, gaudio demulceret, ridicularum rerum mimos, cantilenas, & ſimilia inſtituit; & vt Animum ab ignavia revocaret corporis exercitationes adhibuit: Et ERASISTRATUS deprehenſa Animi ægritudine ANTIOCHUM SELEUCI Filium, priſtinæ valetudini reſtituit.

Affectus autem quando adſunt: A Medicis conſiderantur vt ſigna diſpoſitionum corporum: Vel vt cauſæ aliquorum affectuum, & accid

& accidentium. Verum diſtinguendum inter facultatem à qua primum tanquam fonte manent, & corporis diſpoſitionem, cujus interventu maxime operantur: Et ad certum affectum determinatur potentia: Æqualiter namque ſimpliciterque vtrumque contrarium ratione ſpirituum; Diſpoſitio, verò alterutrum tantum reſpicit: Ex ſupervenientibus ſpiritui cauſis, quamvis enim triſtari & lætari poſſint homines, nihilominus omnes ad vtrumque ſimiliter proni, non dicuntur: Sed alii ad lætitiam, alii ad triſtitiam tantum.

Eademque ratio eſt in ira, lenitate, timore audacia; ſive confidentia, ſuperbia, humilitate cæteriſque affectibus. Quælibet ſiquidem actio, & paſſio intenditur, & remittitur, non ſolum reſpectu agentis: Sed propter diſpoſitionem patientis, ſpirituum, & ſanguinis.

NAM Spiritus, ſanguiſque copioſus, ſubtilis calidus, vt in cholericis, ad ſubitam iram, inconſtantiam, ſuperbiamque; clarus, temperatus, vt in ſanguineis, juvenibuſque boni habitus; ad lætitiam & hilaritatem, ſubtilis, aquoſus, frigidus, vt in pituitoſis, mulieribus, pueris, naturaque debilibus, ad timorem ſegnitiem, torporemque, proclives reddit. Craſſus, calidus, purus, aut minimè turbidus:

Ad confidentiam, audaciamque: Clarus temperate frigidus: Nec ad iram, vel timiditatem ſed ad lenitatem modeſtiamque; craſſus, turbidus vt in melancholicis, at triſtitiam, & merorem & interdum ſi calor accedat, adurens: Ad iram, pertinax odium, & invidiam, vt in lividis & atrabilariis propenſos facit: Nam ira quando de repente ſedatur, non perdurat, ſpecies rei nocivæ, in imaginatione: Sed Animus à conſideratione illius avertitur: Et in memoria obliteratur.

Ideo tum non excitatur odium, aut invidia: His tamen perſeverantibus, altiùs infixa manent. Deinde quilibet affectus, ſua natura ſæpius iteratus, habiles reddit ſpiritus, ad generationem ſui-ipſius: Quoniam actio cui eſt alia contraria ſi crebro repetatur, virtutem ejus potentiorem reddit, ad imprimendum ſuum effectum, & diſpoſitionem, ad contrarium imminuit. Ubi exfræquentibus actionibus, paſſionibuſq; habitus generatur: Ideo lætandi, triſtandique conſuetudo, cor & ſpiritus, ad lætitiam, & triſtitiam concitant. Eadem in cæteris eſt ratio.

Præterea diſponitur ſpiritus, & cor ad affectum aliquem à cauſis externis, quatenus ſpiritus cum ſanguine augetur: Vel diminuitur, calefit, aut refrigeratur, atteminuatur

aut

aut incraſſatur. Clarus aut turbidus redditur: Ideo Vinum laudabile paulo copioſius hauſtum, lætitiam, eouſque in quamplurimis movet, vt levi aut nulla de cauſa ridere & gaudere videantur: Ex ea enim ſpiritus aucti, illuſtrantur: Sed ob nimiam in cerebro humiditatem, vaporeſque ſublatos, lætitiam magis, ex imaginatione rei jucundæ præſentis, quam futuræ & opinionem potius, quam ſolidum intellectum parit. Eodem modo etiam ſe habent Alimenta, & Medicamenta nonnulla: Veluti lætitia perfundunt, quæ nutriendo ſpiritus reſtaurant: Aut quæ modica adſtrictione, ſpirituum diſſipationem impediunt: Ut ſuccinum, coralli, imyroballani: Aut cum grato odore calorem, & frigus, contemperant: Ut ambra, cinnamomum, crocus, camphora, aqua Roſarum, &c. Aut quæ melancholicum humorem demulcent, vel evacuant: Ut Bugloſſa, borrago, Epithimus, &c.

Ad idem etiam confert, victus liberalis; vita jucunda, cantilenæ, muſica omniſque Animi recreatio, confidentia, ſpes futuri boni, memoria rerum jucundarum, læti nuncii, admiratio, fruitioque optati, victoria, in rebus etiam ludicris: Item converſatio cum jucundis gratiſque ſodalibus: Mora in luce intuitus cœli, cujus ſignum eſt, quod ſolitu-

do, moraque, in tenebris, triſtitiam conciliet. Nullarum ſunt hæc virium, ſi diſpoſitio contraria prævaleat: Ut in melancholicis non raro evenit in quibus ſpecies rei triſtis, vſque adeo imaginationi impreſsa, vt cuncta ſimilia apparere efficiat.

Tandem Perturbationes Animi; Idcirco à Medico diligentius perpendendæ ſunt: Quod ex iis ſæpe-numero futuros morbos prædicere, & præſentes cognoſcere queamus.

Nam vt Hipp. 6. Aphor. 23. Si metus & mæſtitia longo tempore perſeverent, Melancholiam deſignant. Unde idem 6. Epidem. Sedulo monet Animi paſſiones, conſiderandas ſemper eſſe; Num ſcilicet quis ſua ſponte ſine cauſis evidentibus, triſtetur, lætetur timeat, confidat, ſperet, deſperet nam citra morbos, notum eſt mores corporis, temperamen tum ſequi, vt peculiari libello docet Galen. Ac quoſdam iracundos, & inconſtantes, ob calorem, biliſque redundantiam, alios ſegnes, & puſillamines, ob frigiditatem pituitæque exceſſum, nonnullos triſtes, timidoſque, ob melancholiæ copiam, & puerorum Animam multo humore ſuffuſam torpeſcere: Quorum omnium remedia ſunt: Quæ corporis temperiem moderate conſervant, ſuperflua demunt, deficientia

ficientia ſupplent. Difficillimum enim eſt, corpore prave conſtituto, mores ad rationis præſcriptum revocare: Ideoque puetis imprimis, præcipuè magnatum, præfici debent non ſolum Præceptores, qui liberalibus Diſciplinis, boniſque moribus imbuant; Sed etiam qui corporis vitia; Vel tollant, vel ad minimum corrigant.

Quare GALEN. I. DE SANITAT. TUEND. CAP. 7. Fortunatum eum judicat, qui cum inculpatam ſingularum partium ſubſtantiam habeat, ſtatim in lucem editus, artis Sanitatis Tuendæ; Perito traditur educandus. Ita namque ad Animi quoque affectus nonnihil, lucri faciet ipſa nimirum recta Victus ratione, mores quoque probos reddente. Ex his conſtat affectus ex diſpoſitione ſpirituum cordis, ortum trahere & viciſſim affectus diſpoſitionum indicia eſſe.

SUPEREST Ut quod propriè hujus loci, inſtitutique eſt de affectibus agamus: Quatenus cauſæ ſalubres, aut inſalubres ſunt, earum diſpoſitionum ad quas ſequuntur. Certum enim primo eſt corporis diſpoſitiones Animum ejuſque functiones mutare, & viciſſim Animi Perturbationes, corpus vehementius alterare, morboſum reddere atque mortem etiam interdum accelerare: Deinde re-

mediis corpori adhibitis, Animi paſſiones ceſſare: Viciſſim Pharmacis Animæ convenientibus, corporis affectus removeri. Ac proinde Medici eſſe Perturbationes Animi, neutiquam negligere: Sed tanti facere quanto internæ diſcordiæ, ſeditioneſq; externis oppugnationibus, ſunt magis periculoſæ.

Nam Animi paſſiones, ſive jucundæ, ſive triſtes, ingratæque: Quia calorem innatum, ſpiritum, & ſanguinem, Animæ inſtrumenta, intra foraſque commovent: Corpus mirum in modum immutare ſolent. Eodem pene pacto quo ex ſomno, & vigiliis cum in his fiat caloris nativi, ad interna externaque revocatio. Verum multo gravius, vehementiuſque quanto importunius, violentiuſque, quam ſomnus & vigilia invadunt. Conſtat enim vehementibus Animi Perturbationibus, caloriſque nativi cum ſpiritibus, & ſanguine, repentinis motibus, ſæpe-numero ſupremum diem claudi: Expanſis, diſſolutis, aut oppreſſis, ſuffocatiſque, quæ in nativo calore conſiſtunt, Animi viribus iiſdemque nimia refrigeratione extinctis.

Nam Memoriæ proditum eſt quoſdam ex improviſo ſubito timore, alios vehementi mærore, vitam cum morte commutaſſe: Nonnullos immodica lætitia, profuſoque gaudio, exp

dio, expiraſſe, timore ſiquidem Animo impendentis mali, opinione perculſo ad penetralia. Vitæque noſtræ primordia, fuga ſanguinis, ſpirituſque repentè confertimque facta, partes externæ pallent; algent, tremunt, pulſus deficiunt, in debilibus: Quorum animula vehementi paſſione oppreſſa, calore nativo, ſpirituque extincto, ſuffocatoque, quippe extingui accidit, propter affectus ipſius, naturam, vt cujus generatio in refrigerando conſiſtat: Suffocari autem, eo quod totus ſanguis vna commeet, atque ad principium deferatur. Contra in ira, quæ appetitus eſt vlcionis, depulſioniſque injuriæ, ex nimia indignitate ſubortus. Calor præter conſuetum accenſus, vna cum ſanguine, ſpirituque in extremas partes impetuoſe ſeſe diffundit: Servatis interea facultatis viribus ad agendum, atq; perduradum.

Ideoque ex ea, corpora calidiora, rubicundiora, & ad motum promptiora redduntur: Quia vera calor nativus non ita frigore concutitur, vt in timore: Nec robur ejus ſolvitur, vt in vehementi gaudio, ex ira neminem interiiſſe ſcribit GALEN. Niſi fortè aliqua alia interveniente cauſa, quam in actum. Deducit, odium eodem penè modo, quo ira ſpiritum cum ſanguine cõmonet, nam vtraq;

passio, est appetitus depellendi, à se rem aliquam: Sed in odio motus ille lentior, diuturniorque est, cum Animi elatione, sive indignatione, contemptuque. Sicut enim in amore desiderium est vnionis cum re expetita, conuenientique: Ita in odio, quod amori opponitur, est appetitus disjunctionis ejus quod indignum, & nobis nullatenus congruum arbitramur.

Quemadmodum in ira, calor se pandit, in timore, ad interiora refugit: Ita in verecundia, vtrumque patitur. Nam primum ad interiora fit caloris contractio, post ad exteriora affatim reductio: Quippe cum nisi redeat timor censetur, non verecundia, quæ derepente fit, omnino nihil expectante mali, animali facultate: Cæterum præ mollitia, & timiditate naturali cum homine, longè meliori, versari nõ sustinente: Sed refugere & si possit, à conspectu subducere properante: Ideoq; veluti resiliens, tantum citra vllam frigerationem in profundum recedit: Ratione verò patebilem partem Animi id est quæ terretur, & verecundatur excitante, atq; inhortante redit: Extrorsumque movetur. Hinc fit vt verecundis, sive pudore suffusus, coloris extemplo faciei mutatio oboriatur; & confestim in genis rubor conspiciatur.

Quòd

Quòd ex intro, foraſque propulſo calore, ſanguinis ſubitanea reciprocatione, vltro citroque remeantis, certamen animadvertatur, in quo maxima nonnunquã fit ſpirituum diſſlatio, vt nonnullos, pudore quoque ex vita migraſſe literis conſignatum ſit in quorum numero, teſtatur VALERIUS MAXIMUS, ipſum HOMERUM fuiſſe: Quoniam à piſcatoribus propoſitam quæſtionem ſolvere non potuit: Hæc vbi in adoleſcentibus conſpicitur bonæ indolis eſt prænuncia: Unde illud COMICI erubuit, ſalva res eſt. Et meritò quidem cum ſit ingenuitas, & vt CICERO recte ait cuſtos omnium virtutum, dedecus fugiens, laudemque maxime conſequens. Quod autem in timore ſemel, confertimque, id in triſtitia, paulatim homines patiuntur: Diſſidentibus ſcilicet inter ſe paſſionibus, iis non toto genere: Sed magnitudine & vehementia: AUTHORE GALEN. 2. DE SYMPT. CAUSIS, CAP. 5.

NAM Triſtitia, pedetentim calorem, cum ſpiritu, & ſanguine ad interiora contrahit: Ideoque ex ſubito terrore plures intereunt, quàm ex triſtitia: Nec ex ea ſtatim niſi fortè imbecilles, quorum animula, vehementi paſſione, ex triſtiſſimo objecto magnopere percellitur, nec ſine pavore in quo cum præſentis

mali aversione, imminentis metus est: Quare ex maximo mærore quidam mortui sunt vt refert. PLINIUS DE PUB. RUTILIO Nunciata Fratris repulsa in petitione consulatus.

VERUM non ira se res habet in simplici tristitia, & mitiori mærore: Quia lentus est & Paulatim tantum corpora immutat, vt temporis progressu exsiccat substantiam caloris nativi depascit, extenuet debiliter concoctiones vitiet vigilias pariat, mentem conturbet morbosque melancholicos inducat: Misti affectus sunt primum, ex tristitia & amore, benevolentiave, misericordia: Ex tristitia & ira pertinaci, sive potius odio, invidia: Nam vt in misericordia est tristitia quædam, sive dolor, animum arctatum, angustumque factum sollitice augens: Atque anxie tractans orta ex aliena miseria, cui lubentes volentesque subvenire percupimus: Ita in invidia est dolor animum crucians, atq; exedens, ex aliena prosperitate, quam oculis æquis, contemplari non-possumus. Quare in invidia, odium calorem circa cor accendit: Verum tristitia dolore animum afficiens & calorem cum spiritu ad interiora perferens, foras erumpere non permittit: Ideo viscera humoresque adurit. Tum facile in reliquum corpus

corpus excurrens, ac proximia quæque invadens depopulatur lente vnde HORAT.

Invidus alterius rebus marceſcit opimis. ET *Invidia Siculi non invenere Tyranni majus tormentum.*

Qui æneum tamen taurum ad exercendos hominum cruciatus excogitarunt. Aduſtis inſuper humoribus corpus replet, ac ob inopiam caloris vbertatemq; melancholiæ, præcipue cutem faciei, quæ affectuum Animi index eſt, livido colore tingit: Unde ipſa invidia, livor quoque appellatru. Præterea in gaudio, & lætitia facultas Animæ extrinſecus movetur, non vt in ira, cum fervore, & rubore, verum contra ſi quid enim prius ruboris adfuit: Id nunc remittitur; Et in auras diffla-tur præcipue in gaudio profuſo, & inſpera-to cum calor nativus ſpirituſque maximo impetu, extroſum feruntur, atque diſsipantur: Ideo ex gaudio inexpectato nonnulli confeſtim expirarunt, vt conſtat ex CHILONE LACEDEMONIO, referente. PLINIO LIB. 7. CAP. 53. Naturalis Hiſtoriæ dum in Olympicis, victorem filium Conſpexiſſet: Et SOPHOCLE, atque DIONISIO SICILIAE TYRANNO, accepto Tragicæ victoriæ nuncio, Idem teſtatur à GEL-

LIUS, CAP. 15. LIB. 3. DE DIAGARO RODIO, qui cum tres victores Filios, eodem olympiæ die, atque coronatos vidiſſet: In ſtadio inſpectante populo, in oculis atque manibus filiorum animam efflavit: Moderatum tamen mirum in modum prodeſt quod ſpiritus, caloremque nativum ad augeat, animum corporiſque vires recreet, triſtitiam leniat, &c. Exultare gaudio cum multo riſu, damnum infert hominibus maximè craſſis, quia calorem cum ſpiritu à corde diffundit, extrorſumque deducit: Unde refrigeratio ſequitur.

In his omnibus paſſionibus, id à quo primum animus concitatur, eſt in imaginatione ſpecies appræhenſa, ſub ratione boni appetendi, aut mali fugiendi: Nam pro ratione illius, citra quoque vllum manifeſtum affectum ſpiritus cum ſanguine, quoquoverſum feruntur: Ut enim in gaudio percepta delectabilis ſpecie: Ita inſpicientibus nobis, colores rubeos, ſanguis extrinſecus movetur: Ideo medici conſulunt infantes, variolis, aut morbillis laborantes, pannis rubris involvendos: Quod non parum officere in hæmorrhagia ſolet: Atque ob hanc ſolam cauſam quod ſanguis imaginationis, animique motum ſequatur: Quare nonnulli opinantur, tantum illi ineſſe

ineſſe virium vt non ſolum proprium: Sed & alienum corpus immutare valeat: Proprium autem manifeſtum eſt, & extra controverſiam. Scribit enim HIPP. & GALEN. Amorem, & fiduciam agri erga medicum, ad Sanitatem recuperandam plurimum conferre. Immò juxta AVICENNAM, plus vtilitatis, quàm Medicinam adferre.

Deinde compertum eſt imaginationem conceptam de alterius affectione: Similem nonnunquam inducere: Veluti pleroſque oſcitari, ſi alium oſcitantem conſpexerint; & mingendi deſiderio teneri, vbi alium mingentem viderint. Et ſi naufeabundo occurramus, naufeam concitari: Atque eum ſtridore dentium infeſtari qui alium quod ſaporem habet, ex acerbo acidum edentem, animadvertit. Imaginationem vero alienum corpus alterare experientia probare conantur: Nam conſtare aiunt mulieres, quæ tempore conceptus imaginationem habent intentam, in rem aliquam nigram, prolem fuſcam procreaſſe: Ac prægnantes quæ ardentius quid animo volvunt: Aut impenſius deſiderant: Ejus imaginem infantis corpori impreſſiſſe perpetuoq; conſervaſſe, ſub hoc genere Arabes nonnulli faſcinationes comprehendunt. Atque ſimili quoque ratione adducti, arbitrantur aliqui

imaginationem posse ægrum Sanitati restitu-tuere: Sanum ad ægritudinem deducere: Quidam pluvias nivesque conficere, non pauci solo visu, imaginatione accedente bestias hominesque interficere, vnde illud VIRG.

Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos.

Item quos ALEXICACOS homines vocant: Sola imaginatione sagittas spinasque evellere, & per ignem, districtosque enses incedere. Quare huc à quibusdam referuntur non solum fascinationes, quæ aspectu: Sed etiam incantationes quæ verbis fiunt. Item suffumigationes, imagines cæteraque MAGORUM veneficia. Qui constituunt primum, animas nostras diversas facultates habere, ab anima mundi per peculiares stellarum influxus acceptas.

Deinde causas inferiores superioribus obtemperare, præcipue intelligentiis quæ nobilioris sunt ordinis, ac intellectum humanum, quo in prima generatione majorem habeat virtutem à cœlestibus, eo esse perfectiorem, iisque similiorem. Quare Anima quæ à IOVE vires est adepta, IOVI persimilem esse: Et materiam inferiorum, quam IUPITER transformare potest, levi accedente dispositione pari ratione mutare: Multoque validius

validius quam causæ inferiores quæ ex genere contrariorum sunt. Arbitrantur enim MAGI Animam mundi tot rationes rerum seminales, divinitus consequutam quot ideæ sunt in mente divina: Quibus ipsa tot modis fabricat species in materia: Ideo quamlibet speciem per propriam rationem seminalem, propriæ ideæ correspondentem, illinc aliquid accipere posse: Quia per hanc affecta est.

DEINDE præcipuè in cœlo esse phantasiam, sive imaginationem eamque perfectam quæ per influentias stellarum, ipsum corpus cœleste sustentat: Ut diversos longeque dissitos vsus præstet, atque hujus phantasiæ, quasi imaginem, & vim quandam insitam esse. Ac MAGUM ista sua imaginatione, per influentias stellarum, corpus cœleste, ejusque imaginationem aliquo cogere posse: Item vi influxus per certas materiales formas, seu imagines Animam mundi viresque cœlitus allicere.

NAM Statuunt nostrum spiritum, dum imagines ritè fabricamus si per imaginationem, & affectum, ad opus attentissimus fuerit: Et ad stellas conjungi cum ipso mundi spiritu: Atque cum stellarum radiis, per quos agit spiritus mundi: Atque ita conjunctim, in causa esse, vt à spiritu mundi per radios alicujus

cujus ſtellæ, ſpiritus ſive vivida. Quædam vis infundatur, imagini hominis operantis ſpiritui maximè conſentanea, atque ita cœlum terræ maritari, & inferis materiis favorem ſuperiorum conciliari. Item hoc opus ad juvari, interdum ſuffumigationibus ad ſtellas accommodatis.

Præterea verba acriori affectu pronunciata: Licet barbara & ignota, præcipue vero cantus, vim magnam circa imagines obtinere; Ad earum effectum illuc dirigendum, quorſum effectus intenduntur, & verba. Immo citra imagines, cantus, verbaque quædam prolata: Aut ſcripta magnas vires poſſidere: Ad cœleſtium favorem aut odium conciliandum: Ideo novæ ſectæ in Medicina PARACELSUS aſſertor. Prolog. 3. Paramyri inter ſectas Medicorum, characterales & ſpirituales numerat. Ex quibus magnam ſuæ artis partem extraxit. Deinde PARAMYRI TRACT. 4. Inter quinque entia cauſas morborum, & Sanitatis ens ſpirituale recenſit: Quod voluntatis inſtinctu, ex cogitationibus noſtris naſcitur: Per hanc autem voluntatem, ſpiritus imagines ex cera, contra aliquem factas ei nocere: Pro aliquo juvare; atque ſpiritus hos, ſine imaginibus quoque morbos excitare poſſe, imaginationem alienum

natm corpus afficere, non ſolum vt ſupra, experientia ſed etiam ſimilitudine amuletorum, ſeu periaptorum confirmare nituntur quemadmodum enim ſmaragdus collo appènſus facultatem habet mutandi cor, morboſque ipſius curandi, etiamſi minime attingat: Ita imaginatio noſtra, ſine contactu corporeo idem efficere poterit. Quæ omnia ſi quis diligentius examinarit, inveniet, non modo falſa: Sed etiam prophana, impiaque Philoſopho, Chriſtianoque homini indigna.

NAM Primum ſi imaginatio noſtra, ad opus aliquod & ſtellas. Intenta, efficere queat; Ut Anima mundi per radios ſtellarum, vividam vim infundat imagini alicui, quæ hominis cooperantis ſpiritui ſit conſentanea: Aut vt ad eos effectus cœleſtes influxus cogat: Quos per ſe ſuaptaque natura non præſtarent, neceſſe erit non inferiora ſuperioribus; ſed ſuperiora inferioribus obedire influxuſque ſyderum ab humano, affectu pendere: Quod non ſolum rationi, ſed etiam eorum principiis adverſatur.

DEINDE Quamvis concedatur influxus ſyderum, ab humano affectu dependentiam habere: Conſtat tamen calculum motuum planetarum à vero tempore aberare & momenta conjunctionum radiorumque ac ingreſſus

eorum in ſignum, gradum, minutumque ſigni, non poſſe ita accuratè definiri ac pro-inde ob hanc incertitudinem, dubium ſemper eſſe, an imaginatio in opere aliquo inchoando perficiendoque, cum rardiis influxuque: Planetarum conjungi queat.

PRAETEREA Si imaginatio ALEXICACORUM, & veneficorum per influentias radiorum maleficorum, homines, beſtiaſque lædat, aut interimat. Cur non imaginatio, virorum virtute, & ſapientia præſtantiſſimorum per influentias, beneficorum queat ægros Sanare, & mortuos vitæ reſtituere: Si actio illa ab ipſorum imaginatione tantum procedat, per influxus ſyderum, & non quod probabilius multo eſt, demonis arte fiant.

NAM Compertum eſt hoc genus hominum cum demonibus pacto convenire, & viciſſim demones in eorum gratiam adhibitis naturalibus mediis, multa facere quæ ab hominibus eo modo præſtari non poſſunt: Quædam ab ipſis non fieri, ſed facti ſpeciem præ ſe ferre, & videri tantum facta, quæ à demone nullo pacto in effectum deduci valeant, ſed meras præſtigias, & oculorum ludibria eſſe. Inſuper figuræ & characteres illi MAGORUM quid commune habent cum planetis, influxuque ſtellarum, & vnde id habere conſtat? Si

ſtat? Si dixeris nomina ARABICA, aut CHALDEA eſſe, cur. Plus virtutis iis ineſſet, quam Latinis, deinde quomodo voces illæ MAGORUM Barbaræ, & ignotæ, cum affectu noſtro, conjungi queant, ad opus aliquid eo dirigendum, quorſum affectus intenduntur, & verba; cum ex ignoto nulla poſſit eſſe Animi intenſio, aut imaginatio ideo characteres voceſque illæ mera ſunt figmenta, ſeu deliramenta nullius virtutis: Quod ſi aliquam iis in eſſe contendas non niſi pacto demonum eſt vt MAGOS in obſequio contineant alioſq; eorum exemplo, à verò DEO ejuſque Cultu ſeducant. Nec minor ſuperſtitio & impietas eſt Verba Sacrarum Literarum, in prophanos vſus convertere & ad ſortilegia divinationes theſaurorum effoſſones, morborum curationes, & ſimilia multa quod MAGIS vſitatiſſimum eſt traducere.

Quæ verò pro ſua opinione confirmanda adducunt, ea tantum probant, imaginationem non alienum, ſed imaginantis corpus immutare. Nam fœtus in vtero quaſi pars, & appendix matrix eſt, illiuſque ſanguine nutritur, vivit, geſtitque, cum mater gaudio afficitur, triſtatur, contrahiturque, cum ipſa malè ſe habet: Quod autem ex matris imaginatione fœtus inſculptam imaginem in corpore ſuo

perpetuo fervet: Id fit quia ex vehementi illa imaginatione, ſpiritus Animæ inſtrumēta moventur: Et rei perceptæ imaginem ſuſcipiunt: Quam rurſus ſanguini quo fœtus alitur offerunt: Atque hoc pacto illius corpori imprimitur idque ob mollitiem, quæ à levi ſpirituum impreſſione facilè patitur. Multoque promptius quam corpus maternum.

Faceſcant itaque ex Animis doctorum piorumque hominum, iſtæ tam prophanæ, & abſurdæ nugæ quas ex CHALDEORUM, ÆGYPTIORUMQUE Superſtitionibus PLOTINUS, IAMBLICUS, aliique PLATONICI & Arabes nonnulli mentibus hominum induxerunt: Sed vt revertamur vnde degreſſi ſumus. Cum demonſtratum ſit, affectus Animi temperaturam corporis mutare, & in morboſas diſpoſitiones pertrahere, ad Sanitatis tutelam ſumme neceſſarium erit, in omnibus mediocritatem ſervare, & quandoque affectus corporis, ex perturbatione genitos contrarietate Sanare. Ac primum qui corporis incolumitati, conſultum eſſe cupimus, ea æqualitas, moderatioque, in omni vita, nobis tenenda, vt adverſus duos graviſſimos hoſtes, nimirum voluptates vehementes, & dolores fortiter dimicandum ſit vt non omnino illas declinemus, nec hos fugiamus,

fugiamus, vel nimium indulgeamus: Verum medium quendam habitum diligamus, quem Animi tranquillitatem vocamus CICERO. 4. TUSCUL. QUAEST. Placidam quietamque conſtantiam. Quod ſi adverſus inſultus, vehementium perturbationum, Animum infractum, & imperterritum perpetuo geramus, leviora non concutient. Laborandum itaque diligenter eſt vt functiones Animæ concupiſcibilis, & iraſcibilis, intra metas, rectæ rationis coerceantur: Quarum hac, magis fere, quam illa, rationi obſequitur quæ non tam judicio, quam metu, & pudore, debili cuſtodi Fidei, & conſtantia refrenatur: At iraſcibilis Animæ motum liberè ſequitur, ideoque beſtiæ quo magis ad iram ſunt proclives, vt leones, plus generoſi ſpiritus habent, quo vero magis nobiſcum in concupiſcibili parte communicant, vt ſues, hirci, aliaq; immunda, ſtupidaque animalia quibus datur Anima vt aeibat MAR. VARRO pro ſale ne caro putreſcat, longius à ratione aberraſſe videntur.

Verum bruta ventri addicta, ſtimulis naturæ, propenſa in venerem feruntur, homines vero qualibet occaſione arrepta, tanquam æſtro perciti, volentes in libidinem ruunt, & irritamentis vndequaque quæſitis, imagina-

tione, ſpecies ipſas fingunt. Quod ergo in brutis culpamus naturæ. Ipſorum, quæ fruſtra nil facit donum eſt: Quod vero in hominibus damnamus conſilii vitium eſt: Licet autem à PLATONE ſit obſervatum, robuſtiſſimos, in ſuis functionibus vnice fuiſſe addictos, hinc parti rationali, illinc concupiſcibili: Certum tamen eſt, nil magis rationi adverſum intemperantia, quæ GRAECIS eſt ἀκολασία. Quod calcato pudore omni, protrita, ſupplantataque ratione, cupiditati ſe homines conſecrent: Quorum Sanitati nil calamitoſius, cum in illa ſicut in honoris, divitiarumque appetitu, ſit modus ſervandus.

Quem per difficile magnis ingeniis tenere; in honoribus maximè aucupandis nam quorum animos ſemel invaſit ambitio, ex liberis ſervos, & captivos reddit: In divitiis non æque arduum, quibus inhiant tantum humiles, & abjecti vt earum deſiderio abrepti, ratione prorſus deſtituti videantur.

CONSULTISSIMUM itaque ab meunte ætate virtuti aſſueſcere: Et turpia maximopere fugere, quæ conſcientiam pacatam eſſe non ſinunt: ſtudium enim SANITATIS inutile prorſus eſt, cui mens conſcia mali nam

Murus

Murus aheneus esto,
Nil conscire sibi nulla pallescere culpa.

DEINDE ad tranquillitatem quoque facit certum aliquod vitæ genus ætati, valetudini, graduique congruum, eligere: Nec Animo semper fluctuare.

Præterea cum bonis, charisque versari, res domesticas probe administrare, in quali vicinia moreris considerare, ac seriis, gravioribusque studiis, relaxationem interponere. Quod si cuncta ex sententia non cedant: Decet animum ad omnem patientiam, & moderationem instruere, & quatenus fieri queat, aliorum molestias, & injurias, aut beneficientia tua obruere, gratia enim gratiam parit: Aut qua poteris æquanimitate sustinere. Verum quia non raro multa interveniunt Animum turbantia, nam pauci, & nescio an vlli SOCRATICA illa constantia, ingeniique perpetua moderatio concessa sit, ne animus dolore prægravetur, aut illius ægritudine, corporis Sanitas detrimentum patiatur: Nil præstantius quam locum consolationibus relinquere, & inde Medicinam petere, quæ cruciatus Animi tollant, aut ad minimum leniant quarum pleni sunt THEOLOGORUM & PHILOSOPHORUM LIBRI.

Verum optandum esse vt hoc alta mente repostum sequaris.

TUNE Cede malis sed contra audentior ito interea Medici est affectus corporis à perturbatione subortos, contrarietate Sanare: Veluti impetum sanguinis, & spirituum ad interiora timore, & tristitia, delatum lætitia, curare eorundemque ad exteriora concitatum, metu ad interiora revocare: Quo pacto nonnullos à sanguinis profluvio liberatos fuisse experientia docet. Multum etiam adfert momenti, vt in gyrum rationis ducantur, victus ratio quam mirum in modum prodesse GALEN. prodidit LIB. quod Animi mores sequantur corporis temperamentum. Ex effectibus Vini quod Animi mærorem & tristitiam discutit. Deinde in confesso est quo purior, subtiliorque est sanguis, consimiles futuros spiritus, affectusque moderatiores: Cibos autem pravi crassi, lentique succi, pellucidum dæfecatumque sanguinem non posse generare, qui ignoret nullus est.

Ideo vt GALEN. Demonstrat. LIB. I. DE SYMPT. Causis Alimenta pituitosa, memoriam & intelligentiam, offendunt, ignavos, & pusillanimes reddunt. Bilioſa, iracundos furiosos, inconstantes melancholica, tristes, & tunidos efficiunt. Quare PLATO

LIB. 3.

Lib. 3. De Leg. Tantam ingeniorum, morumque verietatem. Præter alia, ad cibos quoque retulit; Unde illud Plinii deſumptum videtur dulces ſuccos Animum mitigare & ſuaviorem reddere item fabarum eſum, ingenio officere. Eadem pœnè ratio eſt Exercitationum corporis. Nam nativus calor intra Sanitatis corporis, animique cancellos, conſervatur, moderatis exercitiis: immoderatis vero diſſlatur aut violentius accenditur.

Tandem præva conſuetudo videndi audiendique turpia, obſcæna, ad mores corrumpendos, plurimum valere dubium non eſt. Cum intellectus nihil in ſe concipiat, cujus ſpeciem à ſenſibus non hauriat quare ab ineunte ætate opera danda eſt vt

Nil dictu fœdum viſuque hæc limina tangat.
Intra quæ puer eſt.

Nec Improbos, familiares reddat: Nec illicitis voluptatibus ſe dedat. Et quod non parum ad mores ſubvertendos valet. Ne molles & laſcivas cautiones addiſcat, magnam enim vim muſicam habere in quamcunque velit partem animos irritandi. Barbaræ gentes non ignorant. Scribit Plutarchus, In Vita Demetrii Scythas, cum Vino ſeſe multum indulceſſe cernerent, in-

ſtrumenta certa muſici generis pulſare conſueviſſe, vt diſcuſſis voluptatibus animum ad moderationem priſtinam revocarent. Hujus etiam teſtis eſt ALEXANDER TYRANNUS, qui aurium voluptate delinitus, cum tragædum ſpectaret, ſupra modum in miſericordiam, verſus fuiſſe dicitur. Nullum enim ſenſile æque vt ſonus animos afficit nam juxta harmoniæ varietatem, diverſos effectus induunt. Quippe quæ ſunt tardæ aut in gravem lenem remiſſumque, ſonum deſinunt. Ac longas intenſiones, remiſſioneſque habent. Impetus remittunt, ad commiſerationem inclinant. Concitatæ, acutæ, quibus aſperæ præcipiteſque lapſus; ad alacritatem, confidentiam, exultationemque flectunt: Intra has mediæ ad quandam moderationem, & tranquillitatem diſponunt.

Ideo veteribus pleriſque, melos phrigium in bello, ad vehementes animorum impetus, & confidentiam augendam, ob aſperas intenſiones, præcipiteſque lapſus, vſitatum fuit. Ut à COSSIODORO pugnas excitare, & votum furoris inflammare dicatur. Quamvis proprium ejus ſtatuat LUCIANUS Entheon. Lidium ad funera, & lamentationes moderandas, ob intenſiones leves, & remiſſiones longas ſuaveſque, deſtinatum fuit. IONIUM

ad

ad animi tranquillitatem, hilaritatem; Somnique conciliationem. Quòd ſuave, molleque, eſſet & Chromatici generis accommodatum. Inter hoc, & PHRYGIUM: Medium ferè eſt DORICUM.

NAM IONIO minùs molle, PHRYGIO minùs concitatum, aſperumque, atque eo LACEDEMONII cum hoſtibus congreſſuri, ad Animi alacritatem, cum quadam mederatione, conſtantiaque, ex citandam, vtebantur.

****

Finis Libri Primi.

****

EX EPIST.

XENOPHONTIS AD CRITONEM.

QVi liberis ſuis de multis facultatibus proſpiciunt, vt autem boni ac egregii evadant, negligunt; Simile quid agunt equos alentibus, qui bellicos ad vſus, eos non inſtituunt, & multum pabuli exhibent. Sic enim equos habituri ſunt pinguiores, ſed eorum quæ præſtare oportebat imperitos. Nam equi virtutem, ac laudem non in corpulentia, ſed audacia, peritiaque bellici vſus, ſitam, eſſe. Eodem modo, & illos peccare: Qui Filiis multos agros comparant: Ipſoſmet verò negligunt. Nam prædia magni pratii æſtimationem habebunt, ipſi viles erunt: Cum oporteat è contrario, cuſtodientem, re poſſeſſa, longè majoris eſſe dignitatis, ac pratii. Quamobrem ſi quis Filium ſuum, magni pratii hominem efficerit, quamvis paucas opes ei relinquat, multa tamen largitus eſt.

ARTIS

ARTIS CONSERVANDÆ SANITATIS, LIBRI SECUNDI,

PRÆFATIO.

DE Generalibus vivendi regulis, quæ Sanis propriè debentur, ex convenienti vſu, ſex rerum non naturalium, ſine quibus ducere vitam, impoßibile eſt, ſuperius abundè dictum. Verum, cum non liceat cognittonem vllius Artis comparare, niſi generalia didiſcere, & in particu-

laribus, te exercueris; Quædam ſpeciales regulæ Sanis ſunt requiſitæ; Quæ præcipuè ſumuntur à ſexu, ætatè, & corporis habitu. Quare nobis erit agendum, de regimine gravidarum, parturientium, puerperarum: Deinde de mederamine infantum, adoleſcentum, & qui ad conſiſtentem ætatem pervenerunt. In quo, qua ratione, obeſis, gracilibuſque ſuccurritur: Et quam Diætæ rationem, ſervare, literari teneantur. Tractandum. tandem quo pacto ſenum cura ſit ſuſcipienda, declarandum.

De

De Moderamine & Custodia Grævidarum, Parturientium, & Puerperarum,

CAP. 1.



RIGO Noſtræ Generationis dependet à conceptu: quo ſignis evidentibus cognito, & percepto: Medici erit, operam dare vt fœmina, toto geſtationis tempore quam minimum laboret. Deinde vt accidentibus, quæ gravidis ſupervenire ſolent ſubveniat: Ac tandem ſedulo caveat, ne imprudenti vitæ inſtituto, prægnans ſibi aliquod vitium, in poſterum accerſat: Nec fœtum debilem, & valetudinarium, aut imperfectum gignat: Nec ante tempus, in lucem edat, vel abortiat: Sed vt Sana beneque

valens infantem, tempestive, citoque pariat, & parturigine eransacta, pro naturæ modo cuncta procedant.

In Gravidis primum omni studio laborandum, ne quid violentius occurrat: Aut inopinato accidat; quod eas vehementius commoveat, fœtum offendat ejusque vincula disrumpat. Sed vt incolumes embrionem ad debitum partus tempus conservent. Hæc perficiuntur accommodata victus ratione, potissimum, & remediis accidentia illa, removentibus, quæ gravidis frequenter obveniunt. Quare in diæta gravidarum, moderatio Servanda est. In cunctis rebus non naturalibus.

Ideoque degant in aere temperato, modicè sicco, puro, lucidoque. Deserant nimis calidum, aut frigidum, etiam humidas tempestates, & ventos asperiores, australem, imprimis, & pluviosam cœli constitutionem, quæ quoniam corpora languida reddit: Atque humectat abortus periculum inducit. Habitationis locus sit, omnis mali odoris expers. Quocirca vitanda sunt graveolentia præcipue odor lucernarum. Aut candelarum extinctarum, qui Authore Arist. 8. De Hist. Animal. Cap. 24. Spiritus internos, quos fœtus attrahit inficit. Atque ita tenellum infantem, minimis passionibus opportunum,

portunum, faciliùs multò quàm matrem offendit. Cibi sint boni succi; facilis digestionis, multi nutrimenti, qui non solum, debitam matri & fœtui alimoniam subministrent: Sed etiam humores vitiosos contemperent. Quales sunt caro vitulina, hædina vervecina, gallinacea, caponum, avium montanarum, ova recentia, sorbilia, pisces saxatiles. Ex fructibus, passulæ, amygdalæ dulces, pistacia coronia quæ industriam, & ingenium conciliare fœtui, creduntur. Arcenda sunt procul cibaria acria, flatulenta, diuretica. Ut allium, cœpa, raphanus, fabæ, ciceres. Item Vinum meracius, crocus, aliaque menses moventia nisi sub finem vltimi mensis.

Quin etiam cruda, humida, ex quibus succi multi crudi generantur: Nec non quæ crassæ, aut lentæ sunt substantiæ, vt brassica, lentes, porcina caro, bubula, caprina, aves palustres, atq; omnia infumata & sale nimio condita: Nam vt scribit ARISTOT. 7. DE HIST. ANIMAL. CAP. 4. Immoderato sale vtentes, fœtus non raro, sine vnguibus pariunt: Quod ex nimium salsis viscositas, vnde nascuntur vngues attenuetur, & dissolvatur. Cavendum imprimis ne ingenti alicujus rei appetitu, gravidæ rapiantur. Nihil enim vehementius nocet, si ea frustrentur, & defi-

deriis earum non ſatisfiat. Quare conſulendæ ſunt ne hortos fræquentent: Quia fructus, herbaſque, ſolent expetere, quæ ſi concedantur, nocent: Sin voti non fuerint compotes, fœtus exanimatur: Ut poſtea de pica dicetur. Quantitas ciborum, ſingulis vicibus ſit parva initio potiſſimum, quia eo tempore ſanguine maximè abundant, fœtus. Parum conficit & plurima excrementa, à cibi copia, in ventre ſuccreſcunt: Quæ vterum comprimunt.

Ideo ſi mater pluribus ſit aſſueta: Utile eſt primis menſibus, parum ſæpeque exhibere: In progreſſu creſcente fœtu, cibi copiam augere, niſi menſe octavo, qui moleſtiſſimus, & periculoſiſſimus eſt, ſeduloque ſemper cavere, ne in exceſſu vel defectu, nimium peccent. Potus ſit Vivum mediocre, album, dilutum, plerumque aqua decoctionis Sem. Aniſi, in naturis calidis Sem. Coriandri. Aſſuetis cerviſia media, bene-cocta, & defœtata nam teſte CARDANO, CAP. II. LIB. I: DE SANITATE TUENDA: Quæ Vino plurimo, aut potentiori vtuntur, ſtultos ſolent fœtus edere. Aquæ frigidæ potus, teſte HIPP. LIB. DE AERE & AQUIS, gravidis noxius eſt: Et præcipuè crudæ. Quantitas potus ſit parca, ne fœtus vincula relaxentur: Aut fluctuationes in ventriculo naſcantur. Statim

à cibo

à cibo decumbendum nec tamen dormiendum: Confert enim hoc, cum ne vterus cibi pondere gravetur; Tum vt infans alimento ſine moleſtia fruatur: Atque ei robur acquiratur. Somno nocturno potiſſimum vtantur, eoque paulo longiore, à quo ſponte ſua vel paulatim excitentur: Et ad ſolita munia revertantur. Vigilias ſedulo nocturnas, averſentur. Exercitia gravidis levia conveniunt: Verum primo conceptionis menſe, in ſumma quiete ſeſe contineant.

Secundo rarus, lentuſque motus, ante cibos permittitur. Tertio, quartoque, concitatior: Paulo, magis, adhuc quinto, ſextoque: Sed moderate tantum, præcipuè ſupernarum partium. Eodem modo procedendum, ſeptimo, & octavo, ad medium fere noni. Aetius tamen, circa octavum, qui funeſtiſſimus eſt, jubet Alimentum contrahere, & motus vehementiores proſcribere. Poſt initium noni, fræquentiora ſint exercitia, ad initium. Decimi, inferiorum maximè partium: Cujus generis ſunt deambulationes, crebri aſcenſus, & diſcenſus, per loca acclivia, choreæ. Moderatæ, & circa finem noni, Balnea relaxantia, maximè ſunt opportuna. Ut futuros partus dolores facilius ſuſtineant. Menſibus reliquis fugiant ſaltum, curſum, vehementes in cur-

ru, gestationes, tusses frequentes, sternutationes, clamores, lapsus ex alto, in pedes, ictus coxendicum vteri, graviorum onerum elevationes, & cætera omnia, quæ fœtus vincula, ita præmunt, vt sauguinis, ex vteri profluvio, abortus periculum sequatur. Coïtus primis mensibus cavendus, ne fœtus tenellus decutiatur: Et in salacibus, superfætatio fiat: Mediis tutius permittitur. Non pauci, vltimis fræquentiorem commendant, modo vir suis manibus, ita innitatur vt vterum non prægravet. Verum quia AUTHORE ARIST. 7. DE HIST. ANIMAL. CAP. 4. Plurimis concubuerint. Mense octavo, infans mucore oppletus exit. Aliqui postremis mensibus, coïtum planè dissuadent, vt fœtui noxium.

Verum enimvero ipse ARIST. eodem CAP. scribit, quæ paulo ante partum concumbunt, facilius parere: Ideoque vltimo mense, coïtum vt in commodum minimè reputat. Studendum, vt consuetæ in gravidis, evacuationes per alvum præcipuè, & vrinas, lege naturæ consentanea, promoveantur. Quare si alvus sistatur: Quod accidit ob compressionem, recti intestini, ab vtero, exhibeantur Alimenta emollientia qualia sunt eremor ptisanæ, cum saccharo, decoctum lactucæ, spinaciæ, malvæ, jus betæ, brassicæ,

Galli vet

Galli veteris: Aut ſerum lactis, addito ſaccharo, & ſale. Pruna damaſcena, in aqua cocta, & ſaccharo condita. In principio paſtus, ſi nihil his proficitur ſubdantur glandes ex melle cocto, & ſale, ſapone lardo, vitello ovi cum exiguo ſaporis nigri: Et clyſter injiciatur leniter detergens, ex jure cum butyro, ſaccharo rubro, & ſimilibus: In robuſtioribus ſi neceſſitas exigat, levi cathartico ſit locus: Præcipuè à quarto menſe ad ſeptimum ex caſſia extracta, rhabarbaro, aſſociata: Diluto Fol. ſe næ cum manna, vel paſſulis laxativis. Ante cibum quarum cochlear vnum aut alterum poterit exhiberi, non ſine vtilitate in ſigni validioribus purgantibus valedicendum: Nec non ab omnibus vehementioribus Medicamentis, corpus agitantibus, imprimis ab acribus cœnematis, aliiſque vterum ad excretionem ſtimulantibus abſtinendum.

Omnis ſiquidem immoderata fluxio, abortum prægnanti minitatur: Imprimis ſanguinis, ſive ex naribus, hæmorrhoidib⁹: Sed maximè ex vaſis vteri. Tandem curandum vt gravidæ animo hilari, & jucundo ſint: Et perturbationes omnes Animi quam longiſſimè removeant: Præcipuè terrorem, mœſtitiam, iram, zelotipiam, ſubitum, vehemenſque gaudium, repentina terriculamenta ex fulmine,

fulgure, ſubitis hominum clamoribus, tormentorum bellicorum fragore gurgiis, pugnis, ſeditionibus, nunciis inopinatis, rerum fœtidarum, & monſtroſarum aſpectu, auditu aliiſque ſimilibus, quibus tenellæ, & puſillanimes interdum deliquium Animi, & haud raro abortum patiuntur.

In veſtitu quoque cura adhibenda, ne nimis arcte conſtringantur. Ideoque non aliud amictus genus convenientius: Quam pallium aut tunica laxior vt longe, lateque, fœtui crescenti, vterus pateat, ne ob compreſſionem, gibbus, varus, aut alia ratione male conformatus, in lucem prodeat. Munditie in linteis ſtudeant, & corpus. Totum, imprimis caput, pectuſque à frigore muniant, ſolitudines tenebraſque devitent, & cum gratis, atque dilectis vicant. His præmiſſis conſequens eſt vt de cura accidentium, gravidas infeſtantium, ſermonem inſtituamus. A conceptu menſtruus ſanguis qui ſtato tempore ſolebat antea expurgari, copioſior in vtero collectus, quam fœtui ad huc exiguo inſerviat, ad ſtomachum viam affectat, quem vna cum capite multis vaporibus replet: Unde mappetentia, cibi faſtidium, oculorum caligines, cephalalgia, nauſea, vomitus, ſtomachi exundatio, ſputa crebra, rei vagæ, & alienæ deſiderium, quod

quod pica vocatur. Horum alia quibuſdam citius eveniunt: Et ferè decimo die, nonnullis ſerius, prout, magis, minuſve à materia illa ſuperflua tentantur.

Verum faſtidium & nauſea oboriuntur, potiſſimum quibus purgationes conſtitetunt, aditu non patefacto ad vbera: Unde HIPP. 5. APHOR. 61. Si mulieri ceſſent menſtrua, nec horror, nec febris ſuperveniat, & faſtidia incidant, ipſam in vtero habere exiſtimato. Aliquæ in initio magis laborant, cum fœtus major, laudabiliorem ſanguinis partem, ad ſe allicit, impuriore relicto. Ex quo in corpore redundante præter alia, ventris doloribus, crurum tumoribus, inflationibus, & livoribus diſtorquantur: Non raro poſtremis menſibus quia fœtus grandiuſculus, rectum inteſtinum, atque veſicæ orificium comprimit, alvi ſuppreſſione, vrinæ retentione Stranguria, &c. cruciantur. Obſervandum interim eſt gravidas maximè faſtidire, tædioque afficii in pleniluniis: Et cum fœtui naſcuntur capilli: Nam per id temporis quoque infantes in lucem editos, deterius ſe habere, experientia compertum. Verum magna ex parte quæ marem ferunt, firmiore valetudine fruuntur: Et minus livent. Contra quæ fœminam, deterius habent, & pallidiores ſunt.

Mulieres otioſæ, crapulis & commeſſationibus deditæ, quia per menſes, à vitioſis humaribus purgantur: A morbis plerumque ſunt liberæ. Prægnantes, vero nõ ita commodè vivunt. Unde HIPP. LIB. DE MORBIS MULIERUM. Cum Mulier in vtero habuerit, tota fit cum virore pallida, quia purus ipſius ſanguis aſſiduè diſtillat: Ut in fœtum diſcendat, & augmentum ipſi accedat. Et cum paucior ſanguis ſit, in corpore neceſſe eſt ipſam palleſcere ob quam etiam cauſam, ſæpe-numero evenit infantes ex his genitos, vividiores & robuſtiores eſſe: Quod puriorem & dæfecatiorem ſanguinem fœtus attrahat: Et deteriorem matri relinquat.

Contra nonnullæ gravidationis tempore, in meliore ſtatu ſunt, quam prius quod ipſæ præſtantiorem, fœtus vero deteriorem ſanguinis portionem alliciat: Unde matre benevalente, Fœtus valetudinarii, debiles, & invalidi exiſtunt. Quare à conceptu, ſi mater vlla de moleſtia conqueratur: Ei providendum; Atque etiam infantulo, vt vitalis, & ſaluber, ad tempus legitimum partus, conſervetur. Gravidis vitio ventriculi, præcipuè Symptomata accidunt: Tum quod pravi humores: Aut vapores, ab vtero aſcendentes, ſtomachum ſubvertant: Tum quod vterus, ad ſe

magnam

magnam caloris nativi, spirituumque copiam pertrahat: Cujus defectu, in ventriculo, cruditates, in appetentia, & flatus oriuntur: Ideo ventriculo, imprimis prospiciendum, iis quæ roborant, sine magna adstrictione, & modicè calefaciunt: Deinde cordi, iis quæ calorem nativum suscitant, foventque. Robur addunt ventriculo, sine intensiore calore, tabulæ aromaticæ rosatæ, rosatæ novellæ, vsus cydomati, conserva rosarum, cum exiguo pulvere gariophillorum, ligni aloës, macis. Extrinsecus inungatur cum vnguent: Ex olei nardini, mastichimi, absinthii, cydoniorum an ℥ss. pul. rosarum, macis, coral. rub. balaustiorum an scr. j. cum ceræ modico fiat vng. & superponatur ceratum stamachicū mixtum, cum pul. ros. rub. coral. rub. bistortæ, balaustiorum, cum ladano & panxillo olei cydomiorum, masticis. Inappetentia cibique fastidium & pica, si fiant affecto orificio ventriculi: Quod primis mensibus præcipuè accidit, quia crescente fœtu plerumque cessat; Curatione non magnopere indiget, nisi magnam noxam matri, fœtuique, adferat.

In fastidio gravidarum, redundantem humorem, purgantibus educere non licet: Nec vomitoriis, nisi sponte suo vomuerint: Et tum levioribus, vt aqua tepida, decocto anethi,

cum oxymellite, & ſimilibus, abſtineant ab Alimentis pinguibus, & oleoſis. Carnibus aſſis, & macris veſcantur. Vinum aromaticum; Aut generoſum ſed parciſſimè, & jejuno ſtomacho bibatur, obſoniorum varietate & jucunditate ad commedendum adducantur: Hujuſmodi ſunt auſtera, & acerba cydonia, pyra, olivæ conditæ, &c.

Si ventriculus, frigida intemperiè afficiatur: Mane detur, tabula aromatici roſati: Aut gariophillati, cum cochleari Vini HIPPOCRATICI, in calida, tabulæ diarodon ab. Aut roſatæ novellæ. Cum aqua tepida, cichorei, aut acetoſæ diſtil. exterius, ventriculo admoveantur quæ confortant ſicuti dictum ſuperius. Pica vero, ſive appetentia ſubſtantiæ alienæ, variæque, præter naturam Alimenti, vt calcis, carbonum gypſi, &c. Gravidis accidit ex corrupto menſtruo excremento, tunicis ventriculi imbibito: Peculiari ſua proprietate, os illius afficiente, & ſuum vitium ita imprimente, vt connaturale fiat: Et appetitus quaſi naturalis ſimilia deſideret. Nam ventriculus, quamdiu præter naturam ab humore alteratur, tamdiu contrarium expetit: At ſi poſt alterationem, ſuccus ventriculo familiaris reddatur: Non jam contrariorum, ſed ſimilium voluptate tenetur. Hæc affectio vt plurimum

plurimum accidit iis, quæ pulcherrimos liberos edunt: Quoniam puriorem ſanguinis partem attrahunt, impuriori matri relicta. Circa ſecundum menſem & ſæpe vſque ad quartum durat. Partim quidem humore vitioſo per vomitum evacuato: Partim vero, concocto & tandem propter cibi parcimoniam conſumpto, quin-etiam quia grandiuſculus fœtus, vberiori Alimento indigens, ſimul cùm ſanguine, & ſuperflua recrementa, ad vterum delabuntur. Curationis ſcopus eſt: Pravos humores mitigare, evacuare, & diſcutere: Atque ventriculum coroborare. Contemperantur cibis boni ſucci, facilis digeſtionis, quales ſunt juſcula, gallinarum, caponum, & carnes bonæ ſubſtantiæ: Atque aves quæ nec pingues, nec viroſæ ſunt: Extremitates porcellorum, &c.

Ex oleribus, endivia, aſparagus, portulaca. Ante cibum expedit, olivas muria conditas, cum pane molli exhibere, aut quinque, vel ſeptem amygdalas amaras, excorticatas: Poſt vero uvas paſſas, pyra, mala cydonia, aut punica. A pinguibus bellariis abſtineant. Potus affuetis ſit, Vinum fulvum odoratum, antiquum ſubaſtringens, dentur autem omnia, convenienti quantitate. Sed his qui ſanguine abundant, minus cibi competit. At Potus,

ſemper moderatus, ne Alimenta ventriculo innatent. Providendum diligenter, in gravidis: Primum eſt ne ingenti rei noxiæ deſiderio, capiantur: Quæ ſi concedatur damnum infert: Sin fruſtrentur, graviſſimè afficiuntur: Ideoque nil vtilius quam à re vehementius expetita, cogitationem revocare, & è conſpectu remorete: Quod ſi ardentius vrgeant, cogimur interdum illarum libidini nonnihil ſatisfacere: Et exigua quantitate præbere.

AVICENNA iis quæ deſiderio luti tenentur, pro vemiorio cum aquæ tepidæ Lib. 1. ℥j. luti propinat. Ejus etiam loco quod quæritur, aliquid ſimile melioris ſubſtantiæ, offerri poterit. Ut his quæ ingenti aviditate, terram devorare ſolent: Nil melius teſte GALEN. & AETIO quam amylum recens, aut pollentam, ſucco cydoniorum, aut malorum punicorum reſperſam, in vicem illius ſubſtituere. Pro vitioſo humore evacuando, & abſtergendo, leviſſima Medicamenta: Et non niſi vrgente neceſſitate, vſurpanda. Veluti cum ab acri, & falſo humore, perturbatur ſtomachus: Excitabitur vomitus cum aqua tepida, vel jure pulli, cum ſirupo acido, vel oxymellite. Si ab humore craſſo, qui ob viſciditatem, difficulter excernitur, decocto raphani, aut anethi, cum oxymellite provocetur. Sal-

tur. Salsamenta, raphanos, ex aceto multo, aliaque incidentia & detergentia comedant ad alvum subducendam, exhibetur mel rosatum, pulvis rhabarbari, cum conserva rosarum: Vel decocto polypodii, & myrobal. Verum commendatur in hoc affectu, polypodium exsiccatum, & pulverisatum. Ius galli veteris, decocti cum porypodio. Redundantes humores, exercitia & peregrinationes, assuetis maxime discutiunt. Sed quæ in otio vivunt, ægre repentinos & laboriosos motus ferunt.

TANDEM Ad corroborandum os ventriculi, & appetitum provocandum, conferunt acida, adstringentia, & quæ aromatica vi sunt prædita. Ut succus mali punici dulcis, cum mentha sicca, myrabal. cond. diacydonium simplex, præp. cum saccharo, ejusque miva. Cortex citri conditus, tabulæ aromaticæ rosatæ Exterius vero vnguenta & cataplalmate, adstringendi quadam facultate dotata. Ut supra, de cibi fastidio. Laudatur malum cydonium, cum posca tritum, vel sub prunis coctum, addito rosaceo, vel oleo nardino. Ventriculo similiter applicetur cataplasma, ex tad. calami aromateci, cort. citri, melissæ, partibus æqualibus, decoctis in vino subastringente, & contusis cum oleo cydoni.

maſt., & panis toſti quantum ſufficit. Non minus & hoc probatur quod Recipit. olei nardini ʒvi, Maſtech., Cydonior. an ℈ſ. Oleo nucis muſcata, & macis expreſ. an ſcr. ij. pul. menthæ, roſ. rub., abſinthii, ligni aloës, an ſcr. j. lidani ʒi. ceræ quant. ſ. vt fiat liniment: Verum vt morſus ventriculi compeſcatur, mirifice facit aquam tepidam ſorbere, præcipue ſi materia peccans ſit acris, & calida: Deinde, ſenſim obambulare, & ante cibum infernas partes pro viribus exercere: Et ventriculum molli lana tegere, fovere, imbuta prius, ſi ſit intemperies frigida, oleo nardino, vinoque: Si calida, aceto roſaceo.

Cæterum toto hujus affectus tempore, maximè debent niti mulieres, ne manibus faciem attractent: Quando-quidem inde fœtus rei vehementer conceptæ: Aut deſideratæ forma obſignatur: Quod non raro accidere videmus.

SIMILIS Curadi ratio eſt in ptueliſmo, ſtomachique exundatione contracta, ex ventriculi languentis humiditate, vnde os tenuiore ſaliva, ad palatum per œſophagũ, tanquam per filtrum aſcendente repletur, & inceſſanter expuitur. Gravidæ primis menſibus, ex colluviè in vtero redundante, vaporibus ventriculum infeſtantibus, cibum ingeſtum vel con-

vel confeſtim, vel paulo poſt rejiciunt. Non raro etiam Alimentum ipſum, ad immodico calore, in nideroſam: Vel intemperiè frigida in acidam ſubſtantiam tranſmutatur. Accedit etiam quod facultas expultrix, ex vitioſo humore, os ſtomachi invadente, à jecore interdum, nonnunquam à toto corpore.

Anxietate, dolore, multiſque aliis ſymptomatis laceſſita: At expellendum inſurgens nauſeam primum, deinde ſi irritatio major perſeveret, vomitum concitat; Qui ſi manifeſtum ſequatur levamen, ſiſtendus non eſt: Si gravis cæperit eſſe, cohibendus. In vomitu prohibẽdo prægnantium, vacuationibus vtendum non eſt, niſi ſit alvus ſuppreſſa: Et tum lemente clyſtere: Aut balano tantum ſabducenda. Quare ad Medicamenta particularia deveniendum, quæ ventriculum corroborant: Ne prædictos humores aut vapores pravos ab vtero tranſmiſſos admittat. Deinde quæ receptos diſcutiunt. Cibus ergo ſit optimi ſucci, facilis digeſtionis, ſubſtantiæ ſolidioris, non liquidæ, aut pinguioris, & ſit potius aſſus, intinctus omphacio, ſucco grannatorum, aut malorum citriorum; Huic vſui inſerviunt vitella ovorum recentium, atque ex iis juſcula cum Vino rubro, aquæ roſarum, modico cinnamomo, & ſaccharo concinnata. Confert etiam

plurimum initio prandii, & cœnæ, mica panis leviter torrefacta, & madefacta Vino generoso, aut aromatico. Potissimum si aciditatem Alimenta contrahant. Quod si in nidorosam substantiam degenerent nihil melius, quam in prima mensa parum aquæ frigidæ, cibique solidioris aliquid, quod ægre corrumpatur intinctum.

Prius, succo arantiorum præbere: Et interdum nonnihil sirupi grannatorum, de portulaca, myrtini cydonior, &c. Exhibere, ad reprimendos vapores, & concoctionem promovendam, plurimum juvat diacydonium, aut cydonia in Vino rubro cocta ad mellis spissitudinem, myroballani, nux muscata condita, maximè in causa frigida vel Recip. sem. coriand. præp. ℈j. sem. anisi, coral. rub. nucis muscatæ cort. citri cinnamomi an scr. panis biscocti ℈ſ. sacchari rosati tabulati ℈ij. fiat pulvis, à cibo sumendus vel Recip. sem. anisi, cort. citri, cynnam. elect. an ʒj. coral. rub. marg. præp., ligni aloës, speci. arom. rosati elect. de gemmis an. g. xviij. sacchari soluti in aqua menthæ q. ſ. est vt fiant tabulæ. Laudatur etiam ante pastum; Hoc elactuarium recip. sem. apii exsiccati ʒiij. coral. rub. scr. piperis longi grana. ii mellis q. ſ. fiat elect. dosis à ℈ſ. ad ʒj. mane stomacho vacuo.

euo. His addi possunt Mastyx cinnamomum, ejusque aqua, & cort. citri, exterius si causa sit frigida, inungatur ventriculus linimen. ex oleo nardi, absinthii, ac imponatur emplast. ex crusta panis, vel tosta panis, madefacta succo cidonior & menthæ, insperso pul. masticis absinthii, ros. rub. & nucis muscatæ si causa sit calida. Conveniunt frigida & adstringentia. Vomitu diu perseverante, magnam fert opem cucurbita, cum multa flamma orificio stomachi admota tantisper dum cibus concoquatur: Quod si vomitus fiat, ex fluxu à venis ad ventriculum: Cum dolore & cardiacis symptomatis, vehementius vrgentibus, detur frequenter potus aquæ calidæ, si materia sit calida: Vinum, si frigida, & ad corroborandũ, quæ superius tradita sunt applicentur: Omnis fluxus diuturnior, prægnanti, atq; fœtui, molestus.

Siquidem præterquam quod immodicus, Alimentum subtrahat & ligamenta dissolvat, inconsiderate tamen cohibere, nullatenus expedit. Nisi dysentericus, vel lientericus sit. Nam diarhæa imprægnationis tempore, nequaquam sisti; Sed humor ex quo trahit originem, mitigari debet; Cibis probis. At dysenteria, longè aliter se habet nam cum ex acrium humorum copia nascatur: Operæpre-

tium erit rhabarbarum exhibere: In pilularum forma, aut boli cum Roſ. conſerva addito interdum pulvere cort. myrabal. vel diſſol. in eorundum decocto, cum ſirupo roſato ſolutivo: Vel ſi quid humoris mordentis, & acris reſtet: Ad probam temperiem reducatur: Et tandem ſupprimatur, levioribus initio, qualia ſunt, conſerva Roſ. vetus, dyacydon. ſimplex, cum coral. ſpodio marg. cornu cervi vſto tormentilla, biſtorta, &c.

Deinde validioribus: In quorum numero ſunt, trohici de terra ſigillata, de carabe. de ſpodio, &c. Ex teneſino, ob vicinitatem, & continuam deſidendi cupiditatem, vterum ſimili pœnè affectu ſtimulantem, metuendus abortus vnde HIPP. 7. APHOR. 27. Si prægnanti teneſmus ſupervenerit, abortum ſolet facere. Cui ſunt auxilio clyſteres leniter detergentes, & ſi ab humore craſſo muſculis ſphinteris impacto, producatur quæ attenuant, & incidunt ſi ab vlcere, quæ poſt deterſionem, conſolidant & conatum ſiſtunt, magnopere proderunt. Hæmorrhagia à quacunque parte fiat, prægnanti, gravium malorum cauſa maximè ex venis vteri vnde HIPP. 5. APHOR. 58. Si mulieri vtero gerenti, purgationes ſanguinis procedant, impoſſibile eſt fœtum benevalere: Quod de omni

fluxu intelligendum non videtur: Sed de eo qui inordinate sæpeque fit, ex venis aliquibus partium genitalium disruptis, cum gravidæ molestia, & in lumbis, imoque ventre, dolore atque coloris naturalis mutatione.

Nam compertum est in nonnullis gravidationis decursu, menses ordinate fluxisse, & quidem primiis mensibus, nullo matris aut infantis incommodo. Quod plus sanguinis in corpore redundet, quàm matri fœtuique alendo sufficiat: Et per venas etiam exeat: Quæ in cervicem vteri desinunt. Accedit insuper vt dum vterus fertur, nullo fœtus damno, sensim defluant, nonnulla alba aut pallida aliquibus sangui-nolenta, interdum fœtida, rarius crassa, plerumque tenuia: Quod iis evenit maximè, quæ in ocio & præter consuetudinem, vitam sedentariam transigunt, aut sanguinis purgatio suppressa est, per hæmorrhoïdas, providentia quadam naturæ cum non sint destinatæ nutritioni fœtus.

Nam vbi subito & confirtim talia evacuantur, abortum præcedunt & disruptionem meu branarum demonstrant. Semper autem exitus sanguinis inordinatus, & copiosus: Aut ex vinculis, & vasis illis discerptis, per quæ in fœtum beneficium aliquod redundat, abortum promovet. Quod accidit vel à sanguinis

ipſius tenuitate, & acrimonia: Aut vinculorum, ſeu vaſorum, & acetabulorum, per quæ in puerum Alimentum derivatur, laxitate. Aut diſruptione; Poſt ſubitam Animi, corporiſque commotionem, atque affectum dolorificum, partium ſpiritualium ventris veſicæ, &c.

Quare ſanguine fluente ordinate, & quidem primis menſibus, ex venis colli matricis; Aut quæ nullum deferant fœtui nutrimentum, ſive vlla moleſtia: Aut dolore nil aliud quam bona victus ratio poſtulatur. Par ferè ratio eſt in albis, pallidiſque locellorum genitalium expurgamentis, quæ ſupprimenda non ſunt: Cum fœtum interimant: Aut graviorem affectum inducant. Ea tamen ſunt exhibenda quæ matrem infantemque corroborant, ſi fluxus ab vtero ſit immodicus; Aut ex illius venis, quæ fœtui inſerviunt: Aut cum dolore, & virium debilitate ſit conjunctus: Statim eſt inter cipiendus. Et ſi ſanguis acris, ſit & tenuis, purgandus iis quæ partes firmiores reddant. Deinde quæ adſtringunt, atque ſiſtunt, vt in dyſenteria dictum eſt exhibenda Particulatim autem quibus alba, aquoſa, pedetentim exſtillant: Victus ratio ſit exſiccans, modicè adſtringens, ex carnibus aſſis, amygdalis toſtis, miva cydon. aromatica, decocto Rad. chinæ, potu chalybeato: Et continue

tinuo admovenda vnibilico, quæ fœtui vires addunt. Verum in vehementi fluxu, si adsit plenitudo cum virium robore, initio revulsionis gratia, vena brachii tundenda: Sed multa cum præmeditatione lumbis, imoque ventri, quæ comprimunt, & adstringunt sunt imponenda. Ut vng. comitissæ, emplast. montagnanæ, ex cort. castanearum aliaque. De quibus infra, in abortus præcantione. Cibi sint intrassantes, & carnes magis assæ, quam elixæ gelatina, amylum cum lacte amygdal.: Potus vinũ rubellum tenuè, dilutum aqua extinctionis ferri, auri, aut decoct. sem. coriand. præp. vel Masticis: Aut cervisia chalibeata: Vel cui succus granatorum sit immissus. In prægnantibus ex reliquiis menstrui sanguinis: Aut prava victus ratione, sæpè oriuntur flatus crassi, qui in ventre, tormina gravissima concitant: Atque metum abortus inducunt: Et dum se in cor insinuant: Per arterias, & venas, palpitationes saltu que cordis. Interdum si halitus sit, teter & malignus, syncopen, aliaque cardiaca syn ptomata commovet.

Quare quæ flatus discutiunt, sunt exhibenda: Ut Vinum aromaticum, aqua cinnamomi, anisi, tabulæ dianisi diacumini diamarg. cal. admovenda potius fomenta sicca, quam

humida, ne ob nimiam dilatationem in matricem irrumpant: Ex sem. carvi, cumini. fœnic. anisi, anethi, angelicæ, baccis & foliis lauri, &c. Si constipetur alvus, clysmata leviter detergentia, flatusque discutientia, in parva tamen quantitate sunt injicienda: Sed absque sem. anisi, aut fœnic., quæ putantur genitalibus partibus molesta. Ubi cum palpitatione, aut syncope: Cor in consensum trahitur aquæ cinnamomi, scordii, scorsoneræ vel cardiacæ, cum sirupo cort. citri propinetur. Additis nonnunquam speciebus diamarg. cal. elect. de gemmis, de hiacyntho: Vel lap. bezoer cum solutione perlarum, corallorum.

Laudatur confectio gentilis, quæ recipit marg. præp. ʒiſ. hiacinthi præp. ʒſ. cinnamomi, gariophill. macis an ſcr. ij. limaturæ auri, argenti an ſcr. j. ſacchari albi ſol. aquæ Roſ. q. ſ. fiant tabulæ vel loco hujus, fiant rotulæ, ex ſpeciebus elect. de gemmis, diamarg. cal., cum gutta vna aut altera olei cinnamomi aniſi, vel cort. citri. Admoveantur confortantia ex ſpeciebus diambræ, dianiſi, ligni aloës, ſem. angelicæ cort. citri, &c.

Vel mica panis toſta, infuſa Vino aromatico; Et his pulveribus aſperſa. Si corpus pravis ſuccis refertum ſit: Levis quædam purgatio

non

non est contemnenda: Et si plethora sit; Vena brachii tundenda. Verum vtraque non temere est tentanda.

Quemadmodum ventriculi affectus intra tertium mensem gravidis accidunt: Ita pedum tumores, & varices raro ante quartum: Quia in hos sæpissime convertuntur: Aut corpus cacochymia prægravatur. Solent hi tumores, & livores sponte post parturiginem, corrupto sanguine expurgato cessare: Verum si magni sint atque puero in lucem edito subsistant, curationem exigunt ante partum. Quare AETIUS pedes abluere jubet, decocto malorum citriorum, & plantas perfricare, sale cum aceto rofaceo: Vel alumine cum Vino. PAULUS cimoliam terram ex aceto applicat. Probatur etiam fomentatio, decoct. cort. citri, ex Vino, & aceto atque papyro bubula, aceto madefacta, imposita. Laudatur insuper pedum lotio ex decocto aluminis, thuris masculi, & baccarum lauri in lixivio, vel aqua marina, cum Vino vel aceto: Ante omnia incumbendum, vt non solum prædicta; Sed cætera omnia quæ periculum abortus, videntur minari removeantur. Cui occasionem suppeditant, quæcunque retentricem vteri debilitant: Aut expultricem, ante legitimum tempus, ad expellendum insur-

gere cogunt: Quorum alia externa, vt injuria, vehementes Animi, & corporis commotiones, ictus, valida Medicamenta, & similia, Quæ fœtui nocent, & illius vincula laxant: Alia interna vel in vtero, ex morbo proprio: Vel per consensum vicinarum partium: Vel in fœtus nimia magnitudine, debilitate, corruptione, numero majore, quam vt perfici queat; Vel illius involucris laxatis: Et disruptis vel in sanguinis, quo fœtus nutritur nimia copia: Vel inopia: Aut prava qualitate hæc expultricem matricis extimulant, abortumque faciunt. Aut mole sua, quando vterus amplius distendi non potest: Vel pondere cùm vltra vires ejus est, quod continet, vel morsu, vbi ruptis membranis, humor qui in iis continebatur in vterum effunditur.

MINÙS Offenduntur abortu, quibus firmior est valetudo, alvus natura lubrica & quæ sine molestia magnos infantes pepererunt. Ac deinde provectiores ætate, non valde pingues, nec præter naturam tenues. Accidit vero abortus, plerumque primis, aut vltimis gravidationis mensibus: Et primis magis fœmellarum, postremis masculorum. Reperiuntur mulieres nonnullæ, quæ si conceperint, periculum subeunt in partu, sive ob vteri parvitatem, vt fœtum perficere nequeant: Sive ob

ob cervicis ejusdem angustiam: Aut tuberculum innatum: Quod partum legitimum remoratur. His erit vtile non concipere, aut à coïtu abstinere: Aut quæ sterilitatem inducant familiaria reddere. Ac si conceperit, satius est embrionem corrumpere, atque abortum mature promovere, quam fœtum exscindere, aut vt pereat cum matre permittere. Differunt autem sterilitatem inducentia, ab iis quæ fœtum corrumpunt, & abortum faciunt: De quibus vide AETIUM tetrab. 4. SERM. 4. in aliis, abortum procurare Medici non est: Sed omnibus modis præcavere instans autem abortus impediri nequit: Ubi primum aquosa, deinde sanguinosa prodeunt: Et dolores consueti parientibus incidunt.

Ideoque in eo curatio illa requiritur, fere vt in partu. At futurum nisi fœtus sit corruptus: Aut extinctus, inhibere licet bona victus ratione: Causæque remotione. Veluti si intemperies, contrarii introductione: Si à nimia humorum copia: Aut plenitudine, purgatione, venæque sectione; Sed per intervalla: Hæc quidem secundo, tertio, aut ad summum quarto mense, quo tempore sine nosa fœtui sanguis subducitur: Illa, vero si materia turgeat à quarto ad septimum, à minori, & grandiori conceptu abstinebit.

Ut Consulit Hipp. 4. Aphor. 1. Ubi à copia mucorum, acetabula, vteriq́ue vincula laxantur, purgatio quidem necessaria est verum multo conducibilius, quod peccat ante conceptionem tollere, iis quæ matricem à pituita liberant: Et simul reliquias discutiunt: Et exsiccant, foras suffumigiis. Pessis, vnguent. Emplast. intus sudoriferis & corroborantibus.

Semper autem mulieres, quæ gravidatione durante, deterius se habent, ab humore vitioso, pro natura ipsius ante conceptum liberandæ. Contra si periculum sit abortus, ab inopia sanguinis; Ex inedia aut morbo, quopiam boni succi Alimentis, reficiendæ sunt. Si ab aliquo fluxu immodico, tempestivè sistendus & acrimonia humorum contemperanda: Quemadmodum dictum est si à parvitate, aut densitate locellorum muliebrium, ante conceptum. Balneis & fomentis relaxantibus, subveniendum, nec minus etiam tumorum, quicunque fuerint, ratio est habenda. Ab externis causis, abortus sæpissimè solet accidere; Quas præcavere fere impossibile est hunc tamen nequaquam faciunt nisi fœtum lædant: Et illius vincula, atque involucra abrumpant. Unde confertim sanguis erumpit, quem supprimere non licet: Ideoque

gravida

gravida quieta, frictionibus tantum, partium ſuperiorum ſit contenta: Minimè interim neglecta, victus ratione, quæ modice ſit aſtringens, & corroborans: Quippe ſi nimium fluxus inhibeatur, ſanguis corrumpitur: Aut fœtus ſuffocatur. Tenellæ autem, & quæ ob levem occaſionem, facillimè abortire conſueverunt, antequam vterum ferant, ita regendæ, vt poſt conceptum, non modo externas quaſcunque injurias vitent: Sed etiam vſurpent, quæ vires ipſarum confortent, vinculorum rupturas impediant: Ipſum fœtum corroborent, & vitalem conſervent: Qualia magna ex parte ſunt cordialia, vt diamarg. frigidum & cal. elect. de gemmis, de hyacintho, de citro, dyamoſ. confect. alkermes, mithrid., zedoaria, coral. ſpodium, raſura eboris, biſtorta, &c. Probatur hic pulvis Recip. granorum alkermes, marg. præp. rad. tormentillæ an ℥ij. coral. rub. Maſticis an ſcr. ſ. miſce fiat pulvis cum ſ. q. ſacchari roſati tabulati, cujus dentur ℥ij. in ovo ſorbili. Commendatur & hic Recip. gran. alkermes ℥j. nucis muſcatæ ſcr. iiij. marg. præp. ſcr. ij. ſuccini albi ℥j. ambræ griſeæ. g. viij. oſſis de corde cervi coral. rub. an ſcr. ſ. flor. violarum ſcr. ſacchari cand. ℥iij. miſceantur & fiat pulvis ſubtilis doſis ſcr. j. ſi fœtus debi-

litas magna ſit, detur aquæ quæ bilſamus puerorum vocatur cochlear Vinum.

Proſunt etiam & hæ tebulæ Recip. gran. alkermes ʒj. fantal. rub. ʒſ. gariophil. ſcr. j. nucis muſcatæ ſcr. ij. folior. auri num ii ſacchari albi, ſoluti in aqua roſ. q. ſ. fiant tabulæ. Si metus ſit abortus, ex laxitate & humiditate matricis, optimus erit pulvis cancrorum fluviatilium, & coaguli leporis, cum his miſtus Recip. ſpe. diamarg. cal. diamoſ. dul. coaguli leporis pulveriſati an ʒj. coral. rub. præp. ʒij. miſce doſis ʒſ. ante cibum capienda cum Vino.

Abſtinendum à crudis, flatulentis, diureticis, & acribus conferunt mane amygdalæ excorticatæ: A cibo cydonia cocta: Aut diacydon. à proprietate fœtus retinere putatur Lapis ætites, brachio alligatus: Item lapis ſardinius, ſaphirus, hiacynthus, aut coral geſtatum: Lapis in vtero cervi repertus inuctio cum cinere herinaceorum, & oleo partum contra abortum præſervare ſcribitur. In laxitate vteri ad fœtum retinendum, lumbis imo ventri adhibeantur, quæ facultate adſtringendi ſunt dotato. Cujus generis eſt vng. comitiſſæ aut Recip. olei maſtichini cydon. myrtini an ʒvj. boli armeni ſanguinis draconis acaciæ an ʒſ. roſ. rub. coral. an ſcr. j. cera q. ſ.

ta q. s. fiat liniment. Quod imponatur lumbis nec-non emplast. montagnanæ ex cort. castanearum in causa frigida: Quin-etiam hoc quod Recipit. Ladani ʒij. stiricis calamitæ masticis an ʒiſ. gariophil. nucis muscatæ nucum cupres. acaciæ boli armeni an ʒj. sang. dracon. scr. j. galangæ scr. ij. Colophoniæ ʒij. cæræ & terebinthinæ q. s. fiat emplast. Hoc etiam ceratum est magnæ efficaciæ compositum ex thuris masticis laudani an ℈ſ. lap. hematicis boli armeni, coaguli leporis, limaturæ eboris an ʒj. resinæ pin. & ceræ q. s. fiat ceratum applicandum lumbis decimo quoque die mutandum.

Sequens vterum frigidum, & humidum confortat, & pro retentione fœtus inservit Recipit. gran. Alkermes gariophil. an ʒiſ. ros. rub. coral. rub. sem. angelicæ an ʒj. masticis sang. dracon. boli armeni an scr. ij. thuris ʒſ. ambræ & mosci an g. x. Laudani depurati, & ceræ q. s. fiat emplast. peculiariter ad fœtum confirmandum; Umbilico applicentur, quæ robur confiliant, spirituſque recreant: Ut mica panis torrefacti, irrorata Vino, aut succo cydon. superpositio pulv. cinnamomi, nucis muscatæ gran. Alkermes ros. rub. coral. & similibus: Vel pomum dulce assum, conspersum. Prædictis pulveribus, cum

Vino: Vel Panis mellitus cum Aromatibus. Laudatur munctio vmbilici cum Balsamo indico, vel oleo nucis muscatæ expresso, additis guttis aliquot olei gariophil. vel Cinnamomi, etiam confert à cœna suscipere, per infundibulum vaporem decocti Salviæ, cum Aqua & Vino.

His Modis conservanda erit gravida, ad medium mensis noni: Nam tempus maximè naturale, & vsitatum humano partui est, à decimo quinto noni ad decimum quintum decimi: Licet septimo, fœtus vitalis producatur, octavo vero geniti non soleant vivere, verum circa initium noni aut diebus ferè viginti, ante tempus legitimi partus, emplastra, aliaque adstringentia, tuto removeri poterunt: Ut se gravida, paulatim tamen ad deambulationes ante cibum fræquentes, accingat: Verum post duodecimum dicti mensis, ad motus citatiores, vt ascensus, & discensus, per loca declivia, domestici, vel familiares invitent: Ut infans, versus partium genitalium orificium, directè tendat, partusque facilius, & felicius, procedat: Post medium mensis, vtatur Balneis, fomentis, aut linimentis relaxantibus: Sed initio levioribus, at circa principium decimi, fortioribus: concinnatur Balneum, ex decocto, in aqua malvæ altheæ cum

rad, an

rad. an m. ij. parietariæ, flor. cammomil. melloti an m. iſ. ſem. lim. fæneg. an ℥iſ. ſedeat in eo per ſemihoram, inſtante decimo menſe: Addatur artemiſiæ fol. laur. an m. j. rad. Ariſtolochiæ vtriuſque an ℥ſ. & decoquantur omnia in hydroleo.

Verum Balneo non aſſuetis, tantum loci muliebres foveantur, pubes, lumbi, regio renum mungantur lim. Relaxante quod Recipit. Mucilag. ſem. altheæ ex aqua extemiſiæ. ℥ij. olei lilior. alb. amygdal. dul. an ℥j. olei ſem. lim. ℥ſ. Adipis gallinæ medullæ crurum vituli an ʒiij. ceræ q. ſ. fiat lim. inſtante jam, ac in ipſo etiam partus tempore, ad validiora tranſeundum. Veluti Recipe. olei lil. alb. ℥iſ. amygd. dul. lim. an ℥j. Mucilag. ficuum ex aqua artemiſiæ, butyri recentis an ℥viij. Axungiæ gallinæ, medullæ crurum vituli an ʒiij. pulv. Ariſtolochiæ vtriuſque, an ſcr. ij. myrrhæ ſtoracis calamitæ an ʒiſ. Propoleos q. ſ. vt fiat lim. à litu tegantur partes optimè calidis, & quieſcant: Poſt quartum aut quintum diem ante partum, quotidie ſumat mane, vnctione præmiſſa, vitellum ovi cum Cinnam. loco ſalis, vel juſculum pulli, cum ovi luteo Cinnam. & croco vel ex Vino albo, cum Cinnam. croco & ſaccharo: Aut aliquo eorum vrgentibus laboribus clamoſis quę par-

tum ſollicitant. In partu verò naturali, requiritur primum vt debito tempore, perfecto jam fœtu, cum doloribus mulier vexari cœperit, excludatur: Deinde legitimus ſitus poſtulatur: Atque vt cito, cum exiguis torminibus levibuſque ſymptomatis, ſine matris offenſione in lucem producatur. Tertio vt membranæ quæ ſecundinæ vocantur ſtatim cum fœtu aut paulo poſt expellantur. Tandem vt puerperia, ſive ſanguis vitioſus imprægnationis tempore collectus, in partu & ſequentibus diebus expurgetur. Nam ſi fœtus nondum ſit perfectus, abortus non partus dicitur.

Deinde ſi debita figura, & modus idoneus, defuerit, partus viſioſus nuncupatur: Tardus cum magnis cruciatibus, difficilis vocatur: Maximè autem naturalis indicatur, cum primo caput prodit in lucem, & riliquæ ſequuntur membra: Quæ ab hac forma declinant; Non ſunt naturales. Verum proxima eſt his teſte Avicenna, & Aetio minuſque periculoſa, cum infans pedibus exit. Primo, Brachiis, manibuſque dimiſſis, ſuper vtroque fœmore, reliquæ omnes directione indigent, atque periculo non vacant, maximè quando duplicati prodeunt, capite & pedibus ſimul junctis: Deinde vbi

altero

altero pede, vel manu: Minùs cum reliqua procedunt in alterum latus, quod ad dirigendum obstetricis manui locus concedatur.

Causa Difficultatis partus, vel est in uteri facultate expultrice, & partium vicinarum, vel in viis, per quas excluditur: Vel in ipso fœtu ejusque involucris, de quibus videantur Geneciorum Lib. Partus secundum naturam signa sunt; ventris gravitas, uteri ad pudenda decubitus, & ardor, vt facilè sit per contactum os dilatatum, & leve humidumque, percipere. Instante vero partu, dolor acrior, sæpiusque recurrens sub vmbilico, & ad vnguina, inducias non dat. Venter ex parte supera, cum mingendi cupiditate, & fræquenti respiratione contrahitur. Postea ruptis membranis, plurimus humor egreditur: Ex fractis involucrorum vasis, sanguis, si mas nasciturus purus si puella aquosus confestimque fœtus. Contra partum difficilem arguunt: Dolor, sursum, & ad dorsum vergens aut languidior, ex longioribus intervallis recurrens magnus calor sine manifesta causa, humor aquosus diu ante tempus erumpens. Accedunt his, consuetudo difficulter pariendi, virium debilitas, à natura vel ætate vt in puellis & senibus. Secundum naturam parientibus; Quomodo consulendum sit tradere scripto est

to est supervacaneum: Cum ex longo vsu non modo obstetrices: Sed etiam reliquæ mulieres ista sciant, admonere tamen vtilè fuerit, parturientem in conclavi, non valdè calido nec frigido: Sed temperato, lucidoque collocandam. Advocata obstetrice prudente, cordata, & in ea arte si fieri potest admodum perita: Quæ lectum in eum vsum idoneum, cæteraq; accommodet, juxta regionum consuetudinem. Nonnullæ enim tempestate frigidiore, ad focum in parvo lecto pariunt: Aliquæ ad hanc rem, peculiaria fabricata sedilia habent: Quæ ab humo parum distant, & excavata sunt. Parituræ multa Alimentorum copia, gravandæ non sunt; ne calor nativus distrahatur: Vesicæ, atque alvi excrementa, sunt deponenda.

Omnes Animi Perturbationes, timor, præcipuè & tristitia vitandæ: Quare verbis consolandæ, & bona spe prolis masculæ sunt confirmandæ. Cum laboribus clamosis vrgentur, vt patienter ferant; monendæ: Atque ab immoderato motu coërcendæ, maximè aperto vteri orificio: Ne situs pueruli naturalis, mutetur & ipsa adeo defatigetur, vt labori ferundo non sit par. Verum priusquam reserata fuerint genitalia, vrgentibus doloribus, stare subinde, de sublimiori in declivio-

rem

rem locum discendere, & interdum saltare, plurimum conducit: Ut ligamentis disruptis, claustra pandantur: In ipso conatu, dum patent viæ, maximè proderit ad fœtum expellendum, clamare, respirationem cohibere, sternutationem pulv. Hellebori, & Piperis movere atque hæc tum demum sunt præstanda quando obstetrix vterum dilatarit: Atque humores largius egredi persenserit, Quo tempore, nec sedere, nec stare, nec penitus cubare: Sed sese nonnihil reclinare convenit. Ut manibus, lecti spondæ aut alii sustentaculo, innixis à mulieribus robustioribus suffulta, spatium relinquat obstetrici, ad vulvam dilatandam, infantemque suscipiendum.

Verum enim-vero sedulo cavere debet ne ad labores parturientem adigat, antequam os vteri pateat, seseque partus exhibeat, aperta secundina quæ nisi sponte aut per fœtum divellatur, vnguibus id fiat, qua perrupta humor confertim effluit, quem si confestim non sequatur infans. Partus difficultatem portendit ob siccitatem partium genitalium, cui facilè poteris mederi, decocto emoliente, vterum fovendo, & lini. ex Mucilag. sem. Altheæ Malvæ Fænog., &c. Perungendo atque ea tandem quæ naturam ad partus expulsionem, promovent, & fœtum confortant exhibendo.

Quod si ob figuram præter naturam ipsius infantis, conatus fuerit irritus ad convenientem situm, quanta fieri potest diligentia reducendus: Ut docet AETIUS TETRAB. 4. SERM. 4. CAP. 22.

Sin propter aliquam locorum angustiam, & coarctationem idem contigerit: Subveniendum, calidis relaxantibus, per insessus, fomentationes, illitus oleorum, & vnguentorum, tam actu, quam potentia calidorum quorum nonnulla sunt superius descripta. Eadem facienda, quando vterus parvus, aut fœtus magnus sunt impedimento. Quare in his casibus obstetrix fræquenter, & sedulo, partes muliebres, olleo & pinguedine post fomentationes illinire tenetur. Peculiariter vero, huic vsui inservit. Oleum Lil. Albor. cum Gran. aliquot mosci, & croci, si ob inflammationem, absessum, tumorem: Aut duritiem aliquam in viis; Fœmina parere nequeat, singulis pro affectuum ratione succurrendum, omnibusque modis curandum, vt viæ apertæ, & expeditæ reddantur, vt fœtus sponte sua, nitente matre, promoveatur. Iuvant autem partum, & expultricem facultatem concitant; Variæ compositiones: Ex benignis gratisque Recip. Cinnam. elect. vj. cort. cassiæ vtriusque croci an scr. j. misce fiat pulv. detur cum

cum Vino albo: Aut aqua artemisiæ, cui addi potest nonnihil aquæ Cinnam. vel decocti cicerum rub. validior efficitur, si Myrrha; vel trochi de Myrrha, vel Boracis, seu Castorii; nonnihil adjiciatur, vel Recip. Cinnam. electi, Myrrhæ an scr. ij. pulv. Aristol. longæ vj. dictamni scr. j. croci spe. Diambræ an scr. ſ. fiat pulv. cujus dosis ad vj. Si spes sit partus à cibo prorsus abstineat, & ad virium refectionem, tantum capiat, nonnihil aquæ Cinnam. cum aqua Angelicæ: Vel aqua illa distillata quæ vulgo puerorum Balsamus appellatur: Vel Vino HIPPOCRATICO: Vel cond. cum Cinnam. croco & saccharo.

Probatur jus galli veteris nigri, cum modico cassiæ, croci, & Vini: Aut ei incoquatur, quod luteum est in liliis. Verum si ob calorem, vires exsolvantur: Aër temperetur; & facultatem obtinent roborandi, & modice astringendi, exhibeantur. Quod præstat aqua Cinnam. distillata, cum aqua Rosarum: Aut mica panis, imbuta succo granatorum: Et modico Vini. In difficiliori partu, concedi poterit castorei & Cinnam. an scr. j. quidam Boracem ad vj. aliqui ad scr. iiij. ascendunt. Pro certo experimento, in Vino dulci, si absit Febris, cum croco, Cinnam. & aqua Artemisiæ. Laudatur à nonnullis sabi-

na. Borax nimis vehemens Medicamentum eſt: Nec niſi minori quantitate tuto datur: At ſecurius nitrum, debite præp. nec etiam ſabina, niſi parciſſimè: Quia fœtus enecare dicitur. Ideoque vbi mortuus eſt infans: Aut mola, vel ſecundinæ ſubſiſtunt, jure merito poterunt vſurpari: Modo vires conſtent. Subdi poſſunt peſſuli ex croco, cum ſucco porri: vel ex myrrha,& melle;vel ex rad. cyclaminis:Itē artemiſia, per ſe vel cum pulegio cocta, cōtrita,&infra vmbilicum admota:facilem partum efficere creditur: Idem etiam præſtare dicitur lapis ætites, Senecta ſerpentum, Rad. Ariſtol. Hyoſciami; Pudendi orificio, aut fœmori alligata: Quæ tamen à partu, prompte removenda: Si fœtus ſit extinctus, & Medicamentis nil proficimus, deveniendum ad ſectionem: Quæ in deſperatis vbi nequit mater ſervari, negligenda eſt.

Quod facile cognoverit quiſquam, ex crebris Animi deliquiis, vigiliis, pertinacibus convulſionibus, pulſu obſcuro, & formicante, quæ in procinctu mortem ad-eſſe liquido declarant. Cum jam fœtus egreſſus eſt, comes debet eſſe ſecundina: Quæ ſi remanſerit, violenter ne extrahatur: Sed vincto vmbilico, ſupra diſceſetur: Et pars relicta, fœmori arctè ligetur: Deinde præſidiis, quam

fieri

fieri poteſt citiſſimè, quæ fœtum quoque promovent excludatur, & ſi vires ferant, paulo validioribus, præcipuè ſpiritus detenſione, inferius manu ventris compreſſione, tuſſi, & inter ſteruntandum, cum pulv. Helleb. Caſtorei & Piperis, narium apprehenſione. Superne excipiendus odor, vt in vteri ſuffocatione fœtentium: Ut aſſæ fœtidæ, Caſtorei, plumarum perdicum, aut pavonum, crematarum: Inferne vero beneolentium: Interea incumbit obſtetrici, vt nihil quod ad ejus eductionem pertinet, intentatum prætermittat: Et ſi tota in vtero contineatur: Conſideret, an oſculum illius clauſum, vel apertum ſit.

Quod ſi apertum, & ſecundina ſeparata ſit: Immiſſa manu calida, inuncta oleo Lil. ALB. Aut alia pinguedine nullo negotio educitur: Sin connexa adhæſerit apprehenſa, nulla adhibita violentia: In obliquum huc illuc obvertendo, ſternutatione interim provocata, extrahatur: Ut tota atque integra permaneat: Sin orificium vteri clauſum ſit, perfuſionibus calidis, & pinguibus, primum foveat.

Deinde leviter digitis aperire tentet: Quod ſi manuali operatione nil proficiatur: Ad ea demum quæ facultate ſpecifica, ſecundinas educunt, accedendum. Talia ſunt electrum

vel ſuccinum ʒ. pondere ex Vino. Dictamnus, ſuccus porri cum Myrrha, ex Vino dulci ſi abſit Febris robuſtis viribus, ad Caſtoreum Trochiſcos de Myrrha, Boracem, Sabinam, Peſſaria, & Suffitus vſitatos devenien-dum.

Plurimum adjumenti adfert hic pulvis qui Recip. Cinnam. electi ʒij. Myrrhæ opt. ſcr. ij. ſuccini Cand. ʒiſ. rubiæ tincto Caſtorei an ſcr. j. Boracis ſcr. ſ. croci gran. v. miſceantur vt fiat pulvis cujus ʒj. datur in poſſeto, ex Vino albo confecto. Quod ſi ex prædictis nihil vtilitatis percipiatur, ſuppurantia, in locos muliebres injicienda, vt putrifacta tandem expellantur: Quod ſine acuta Febri, vteri dolore, gravi anxietate, ac ſummo vitæ diſcrimine, accidere non ſolet. Quando puerulus cum ſecundinis in lucem prodierit: Puerpera in lectum temperate calidum deferatur, vbi ſupina recumbat, cruribus exporrectis & reliquo corpore tam erecto, vt ſedenti quam jacenti, ſimilior videatur: Ut quæ reſtant ſuperflua, atque ſolita puerperia, commodius effluant. Sunt qui non ſine magno fructu ſtatim ad tormina vitanda, pelle arietina recenter detracta, ad-huc calente puerperam, ſecundum renes, totumque ventrem involvere conſulunt: Ita vt linteo lato conſtringatur,

Maneat

maneat initio absque somno, & quocunque motu, in aëre temperate colido, sine luce, clausis fæneſtris, & pannis bene tecta. Victus sit tenuis in principio, ex cibis boni succi, facilis digestionis. Quales sunt ex pullis gallinaceis junioribus, jusçula, Cinnam.; Et croco condita panatella, ex jure pulli: Vel Vino diluto. Aqua decoctionis Cinnam. Croco & Saccharo, interdum ovi vitello addito. Primis diebus carnibus parcissimè vtendū: A Vino nisi valdè lymphato, per triduum abstinendum. Si citius quam par est Lochia sistantur: Sternutationibus, frictionibus, & ligaturis inferiorum partium provocentur: Quod si fluant, ita vt vires deficere videantur, quiete summa fruatur, brachia, manuum digiti, & præcipuè anulares, arctè ligentur: Siccioribus, & incrassantibus nutriantur: Cucurbulæ sub mannis admoveantur, verum fluxus immodicus non statim inhiberi; sed modicè adstringentibus, tantum contemperari debet: Si sanguis in vtero concrescat, vnde Febres, vertigines, suffocationes, aliaque gravissima symptomata sequuntur.

Obstetricis erit, orificium vulvæ apertum servare, & quod coagulatum est extrahere; Eaque porrigere quæ menses movent, & concretum sanguinem dissolvunt: Usitata sunt

tribus primis, aut quatuor diebus, tormina graviſſima ob ſanguinis qui expurgatur, craſſitiem, acrimoniam, & flatuum abundantiam. Quare ſanguis craſſior attenuandus; Et eximendus vt dictum eſt acris, aut biliosus mitigandus, lacte amygdal. dul., & ſirupo Violato.

Aliquando in robuſtis & aſſuetis aquæ frigidæ: Potu flatus diſcutiendus & diſſolvendus, intus decoct. C AP. V EN. S EM. Dauci, Aniſi, Cinnam., in Aqua & Vino, diamarg. cal. dianiſ. diacum. Foris inunctionibus, ex oleo anethino, lil. alb. de croco, cataplaſ. ex vitellis ovorum, ſex toſtis, ad duritiem & pulv. ſem. cumini: Aut dauci ℥iij. cum oleo lil. & anethino: Aut ex cæpis quatuor coctis, in aqua & contuſis, addito pulv. cumini, flor. cammomil. an. m. j. farinæ hordei q. ſ. cum aqua decoctionis cæparum; Ut fiat cataplaſ. ſacculis ex ſem. carminantibus, & baccis lauli, juniperi, flor. camomil. melaloti, &c.

Solet autem contingere poſt maſculi partum: Ut purgatio, triginta dies non ſuperet. Poſt puellæ, quadraginta duos: Verum extra periculum exiſtimatur puerpera, ſi poſt marem viginti, & poſt fœmellam viginti quinque tantum diebus purgetur. Reperiuntur tamen nonnullæ quæ longè minori ſpatio ſunt contentæ,

tentæ, quibus nimirum puerperia ab initio largius fluunt: Post tres aut quatuor septimanas: Quando ab omnibus excrementis liberata, & pristinæ Sanitati restituta fuerit puerpera sine, vlla suspicione Febris, obstructionum viscerum, atque aliorum quæ Balnei vsum impediunt, assuetis lavacrum concedatur, ad eluendas sordes, partes distentas, & corrugatas leniendas.

HACTENUS de præcipuis accidentibus quæ gravidis, parientibus, & puerperis accidunt. De cæteris quæ rarius præter consuetudinem, & naturam interdum eveniunt: Non est nostri instituti in hoc loco prolixius agere: Nec etiam de his vsitatis si longius à naturæ modo recedant. De vitiis mammarum, & lactis, post dicetur. Nunc de TUENDA valetudine pueri; atque nutrice, cui demandari debeat, illius educatio, atque nutritio tractandum.

De

De Tutela, & Regimine infantis recens nati.

CAP. 2.

CONSEQUENS Est vt explicemus, qua ratione si quis, puerum recens natum, robustumque acceperit, per totum vitæ curriculum, Sanum custodiat: Modo nil violentum extrinsecus accedat. Quod ad Sanitatis conservandæ artificem minimè pertineat: Initio facto ab illius educatione, nutricis electione, ac lacte ejusdem.

Et primum infans, ab vtero statim Sanus judicatur: Quod mater, per totum gestationis tempus inculumis vixerit & vbi in lucem editus, bene respirarit, vagitumque ediderit, cum convenienti firmitate: Præterea quoniam omnibus partibus, & sensibus integer, naturales meatus expeditos habet; Nec non idoneum membrorum numerum, magnitudinem, figuram, formam, consensum & situm. Puere ab vtero molliter susceptо, à secundinis li-

nis liberandus est: Et vasa vmbilicalia, filo molli vincienda, duorum ferè digitorum latitudine, ab abdomine, non nimis arcte: Ne pars quæ vltra est, citius quam par est; Sed intra tertium, aut quartum diem excidat: Nec laxe, ne spirituum & sanguinis effusio sequatur: Aërque frigidior ingrediatur. Deinde supra vmbilicum, duobus digitis, sive à ventre ferè quatuor, acuto gladio, seu novacula, resecanda.

EROTIS DE Passionibus Mulierum, CAP. 18. Iubet tribus à ventre digitis liganda: Quod vt ille opinatur secundum retentionem vmbilici, virga virilis major, vel minor, futura sit. Post resectionem, sanguis gramosus exprimatur, spongia, aut linteo molli detergatur, vmbilico aspersо pulv. adstringenti, prius ex sarcocolla, Sang. Drac. Thure, & Myrrha, tegatur. Quidam Cuminum inspergunt, quod ob Acrimoniam, improbat AETIUS. Aliqui ad dolorem sedandum, linteum tantum imponunt, inunctum oleo Ros. huic infans vestibus calidis, & si in mora pericurum sit, citius de more, fasciis involvatur.

CAETERÙM Ut cutis densior efficiatur, quo externis injuriis facilius resistat; GALEN. & AVICENN. Quoque totum corpus, te-

nuiſſimo ſale conſpergere jubent. Verum quia tenellis, morſu ſal gravis, & moleſtus eſt; Accommodatius putatur oleum aliquod adſtringens, & denſans: Quale eſt myrtillorum, Roſarum, glandium: Sed prius aqua, & Vino ſtyptico abluere, poſt oleis prædictis illinire conducit.

Sunt qui Vino decoct. Roſ. rub. Fol. Myrti cum pauco ſale, quotidie ſemel, per quatuor aut quinque dies, mergendos putent. Non ſolum vt ſordes removeantur: Sed vt partibus robur concilietur: Et inutilia diſſipentur. AETIUS in delicatioribus monet, vt totum corpus, ſucco ptiſanæ aut fænog. depurgetur; Et aqua tepida, viſciditas corpori obſita tollatur. Interia ſingularum partium cura ſuſcipienda. Ideoque os, & aurium meatus purgandus: Sordes narium, digitis exprimendæ: Ut ſuperflua, per vias deſtinatas excretioni, eliminentur, nec alio convertantur; Palpebræ diducendæ: Oculi aperiendi, & gutta vna, aut altera, olei communis vel Amygdal. dul. irrigandi: Anus immiſſo minimo digito, (prius vngue) dilatandus; Ut excrementum colore atrum, picæum, quod GRAECIS μελαγχολη vocari ſolet, excernatur., Veſicæ regio manu leviter comprimenda: Ut

pr omptius

promptius vrinæ via inveniatur. Singuli manuum, pedumque digiti, molliter tractandi: Atque omnes articuli, sæpius extendendi: Et contrahendi; Ut quod in iis superfluum est; Motu resolvatur. Si vitium in figura partis alicujus sit; In decentẽ formam reducenda: Ob mollitiem, siquidem facilius membra correctionem admittunt. Quod si numerus partium sit auctus: Aut digiti palmipedum; Modo, membrana sibi cohæreant: Aut ligamentum sub lingua, sit brevius, vt sugendi ac loquendi facultatem adimat: Aut in vlla alia corporis parte, quid simile reperiatur id penitus Chirurgi opera tollendum, jacere debet infans in loco obscuro, moderate calido fasciis involutus, in pannis mundis intus lineis, mollibus, foras frigido potissimum cœlo laneis.

Fascia sit lata, & satis longa vt ab humeris incipiendo, simul cum vestibus subjectis: Omnes partes circumcingere valeat: Brachiis vero prius deorsum, vt manus ad genua ducantur: Post-modum cruribus extensis, vt genua & tali conjungantur, interposito coto, aut molli linteo. Caput initio pannis mundis tegatur. Tandem partibus ritè dispositis, ita constringatur, vt singulæ naturalem situm retineant: Hoc modo tractandus infans singulis

diebus: Donec membra corroborentur: Quod in aliis tardius, in aliis celerius fit: Plerumque tamen circa quartum menſem, quo tempore manus, & brachia, ſolvi poterunt: Multo poſt pedes, tandem thorax, & venter vt ab excrementis mundentur. Utile eſt rariſſimè faſcias, & tantum per partes ſolvere.

Sunt teſte IACOBO RUFIO, LIB. 3. DE MULIERIBUS, CAP. 5. Qui infantem lotum, & faſciis involutum, priuſquam ſugat: Aut Alimenti aliquid aſſumat; Matri in lecto decumbenti, à ſiniſtro latere, propè cor adhibent, perſuaſi matrem ab infante, omnes morbos attrahere, & ſine ipſius noxa: Per fluxũ vteri quicquid mali contraxerit rurſus excernere præſervare hoc infantem per totam vitam ab Epilepſia lepraque. Sed ejus rei fides pœnes autorem ſit. Nam ſi quid veri habeat opinio hæc, probabilius videretur, infantem non faſciis involutum; ſed nudum propè cor matris adhibendum. Poſtquam vmbilicus exciderit: Quod tertio, aut quarto ferè die, ſolet evenire: Cineres teſtæ cochleæ: Vel tali ſuilli, aut plumbi inſperge, cum Vino & obliga. Ante omnia alia Alimenta, ſolent apud nos obſtetrices, in os infantis nuper in lucem editi, pulticulam ex avenacea farina, & cerviſia non lupulata, per vim in-

dere

dere: Quam non raro tenellus ſtomachus, conficere nequit: Ut corruptionem facillimè contrahat.

Unde vapores ad cerebrum, fauceſque delati, Epilepſiam & Anginam producunt. Mel optimè deſpumatum multo convenientius exhibetur: Vel ori aqua mulſa tepida inſtillatur, nonnullæ palatum, totumque os, interius Theriaca, & melle fricant: Atque id præſtant, vt ſimul aliquid degluciatur: Quo pituita multa ex ore proliceatur, & vomitu excludatur. Sunt qui olei Amygd. dul. recentis, Vini cochlear offerant: Ad alvum lubricandam, fauces, & aſperam arteriam leniendam, & diluendam vt facilius à pituita viſcida, quæ tuſſim excitare ſolet liberetur. In vicem illius à pauperioribus butyrum recens ſubſtituitur: Verum hoc, atque hujuſmodi oleoſa, ſtomacho ingrata ſient: Ideoque ab aliquibus, Mel & Saccharum iis adjiciuntur. Quibus etiam os totum fricetur, præcipuè ſi in eo quid colore & conſiſtentia, cretaceum appareat: Suctionem impediens quod vulgus GALLORUM Cancrum album nuncupat: Et niſi auferatur, in vlcera ſerpentia degenerat, atque infantem paucis diebus è medio tollit mulierum lac primis diebus, quia in pumicis modum coit, & Coloſtron appellatur, noxium

est: Unde qui hoc lactatur, colostratus dicitur. Ideo ante quartum diem præberi non debet: Sed alterius fœminæ, vbi prius crassum, ab vberibus emulxit: Nec hoc primo statim die, nec etiam secundo, nisi alvus fluat, & excrementa in vtero materno collecta evacuentur: Quibus si admisceatur lac facile corrumpitur: Huic tormina excitantur, atque morbus, à nostratibus Rosa nuncupatus, ortum trahens, ex angustia, ab humore, à capite vt plurimum defluente; ita fauces arctante, vt fuctum penitus adimat, & infans ejulando, vitam cum morte commutet. Quare vt hæc amoveantur à nonnullis, non solum Mel despumatum; sed etiam Rosatum solutivum: Aut sirupus Rosatus laxativus exhibetur.

Priusquam serio lactetur infans, consultum est, lac illi ex papilla sæpiùs in os exprimere; vt ventriculus sensim lacti attrahendo assuescat. Ubi caperit sugere, sufficit ab initio tantum bis, aut ter quotidie, vbera puello admovere, ob debilitatem caloris nativi, facultatis concoctricis, & retentricis stomachi atque metum suffocationis: Ex nimia copia lactis. Maternum lac vt dictum: Non nisi transacto quarto die assumendum: Nec tum quidem, nisi prius suis manibus, aut ore alieno

emulg

emulgeatur: Ut quod vitioſum eſt, exhauriatur, & lacte bene purgato infans nutriatur: At ſi ſuſpicio ſit alicujus malignitatis, ex reliquiis menſtrui ſanguinis, quæ adhuc in corporæ deliteſcunt: Operæ-prætium erit exhibere mitio cum lacte, nonnihil Coral. & Marg., cum Foli auxi vt venenatæ qualitati reſiſtatur, & cordis vires confortentur. Commendatur etiam ad tetros vapores coërcendos, Epilepſiam præcavendam, à collo & brachiis Coral. Rub., & grana Peoniæ ſuſpendere: Et ſi PARASELSO credimus LIB. DE PHILOS. Occulta Coral inſuper facultatem habet, contra omnes incantationes, & MAGICOS contractus.

Cæterum cum infantis educatio, præcipuè in nutricè conſiſtat. Neceſſitas exigit vt de ea, atque ejus lacte primum; deinde de cæteris quæ pertinent ad educationem, Sanitatiſq; conſervationem ante & poſt lactationem dicamus.

De

De Nutricis Electione, Victus ratione, & lacte.

CAP. 3.



D PROBE Alendum, Sanumq; cõſervandum inſantem, præſtat materno lacte nutrire: longe ſiquidẽ familiarius eſt Alimẽtum, quam cujuſvis alterius, illiuſq; naturæ magis conſentaneum: Propterea quod ex ſanguine materno (ex quo, in mammis parum alterato, generatur lac) partus maximè conſtituatur: Et dum in vtero manet: Eodem pro corporis incremento fruatur. Ideo vt gratius, & jucundius, quam quodvis aliud, vehementius appetit, melius concoquit, & digerit.

Quare matres Sanæ, quibus liberorum ſalus curæ eſt, eoſque affectu, vere materno, complectuntur: Nutricatus officium ipſis denegare non debent: Ut enim plantæ, vbi natæ ſunt, lubentius perſiſtunt: Aëris injurias promptius tollerant: Sed alio tranſlatæ, nondum

dum firmatis radicibus, facilius ex areſcunt: Ita puellus à materno lacte ſeparatus, difficulter alienum ſuſtinet: Cum ab illius temperamento non raro plurimum recedat: Ad quam mutationem frœquenter, in extremam pernitiem deducitur: Quin etiam vna cum lacte, infantes vitia moreſque nutricum imbibunt iiſque quam parentibus, ſimiliores nonnunquam ſunt: Nam quemadmodum canum catuli, lupa, aut leœna nutriti, immaniores evadunt: Leunculi, vero lacte bubulo, aut caprino, educati ferociam deponunt: Atque vt hœdi, lacte ovillo ſuſtentati, pilum molliorem induunt: Contra agni, lacte caprino alti, duriorem & hiſpidiorem lanam, ferunt: Ita nati nutricibus expoſiti, plurimum à matris natura degenerant. Unde apud VIRG. cum DIDO ÆNEAE crudelem & immitem animum diſcribere vellet addit.

Hircanœque admorunt vbera tigres.

Atque ob eandem cauſam, qui alieno lacte veſcuntur: Non ſolum nutricis temperiem ingeniumque referunt: Sed interdum impenſius amant, quam ſuas matres, nec immerito nam vt M. AURELIUS ROM. IMPERAT. Dicere ſolitus fiut; quœ ſuos liberos non nutriunt, integrœ matres non ſunt nec materno,

planè officio liberos demerentur. Et quid, quæso, inhumanius, & à natura matris alienius: Quam fœtum intra ſua viſcera genuiſſe, ſuoque ſanguine, quem non viderat aluiſſe: Et ſtatim à partu quem conſpexerat, hominem matris officia implorantem, dimidiatum fere abjicere: Aut alteri, & plerumque ſtipendiariæ, meritriculæ indigniſſimæ educandum exponere.

Quare non ſine ratione ſupra modum laudandæ ſunt GERMANAE mulieres de quibus ita loquitur COR. TACIT. LIB. DE GERM. Moribus ſua quæque mater vberibus alit nec ancillæ aut nutricibus deligantur. Hinc PHAVORINUS, CAP. I. LIB. 12. Noctium atticarum AULI GELLII, quæ partus ſuos deſerunt, ablegantque à ſeſe & alii nutriendos dedunt: Vinculum illud, coagulumque Animi, atque amoris, quo parentes cum filiis natura conſociat, interſcindunt: Aut certe quidem diluunt, deteruntque. Nec obſtat ſemper in matre, vt in alia nutrice, novus conceptus: Nam licet evidens ſit, in omni fere viviparo genere, lac donec conceperit conſervari, poſt ſtatim deſinere, aut vitiari: Matribus tamen partum Alentibus, ſi ex eodem viro rurſus conceperint, lac minime corrumpi autor ex NIGRIDIUS

& Lib

& Liberis minùs quam alienum nocere. Verum enim vero ſi mater valetudinaria, nobilis, aut delicata ſit, vt nutricatus, grave & difficile munus ſubire nequeat. Nutrix idonea eſt eligenda.

Et primo cujus ætas ſit inter vigeſimum quartum, aut quintum, & trigeſimum quintum, aut ſextum Annum: Quod eo tempore, magis copia dæfecati ſanguinis dominetur: Deinde nulli præter naturam affectui ſit obnoxia: Nec genita parente Elephantiaco, Arthritico, Nephritico, Epileptico aut lue Gallica, ſimilique morbo inquinato: Sed ab omni ſiniſtra ſuſpicione libera. Ideoque inſpiciatur, an caput tinea, cutis ſcabie, fædiſque vlceribus ſit contaminata, dentes an Rubiginoſi: Aut Carioſi. An fæteus halitus, an Luſca, Straba, Clauda: Nam habitum ſimilem inſantes facile contrahunt.

Tertio non ſolum debet eſſe Sana: Sed etiam laudabilis temperamenti, vt corpore nec valde obæſo, & pingui, nec nimis macilento, & macro: Sed muſculoſo, carnoſoque, & carne magis denſa, ſolidaque. Pectore lato, fortique, vt robuſtior ſit: Et laborem circa alumnum tollerantior, colore vivido ſcilicet claro, cum albedine & rubedine permixto, non rufo aut lentiginoſo, & fuſco magis quam valde can-

dido, Nam fuſcæ candidis ſunt calidiores, ideo ſanguinem melius concoquunt, & excrementa digerunt vnde SEXTUS CHERONENSIS, LIB. DE INFANTIS NUTRITIONE, vt fuſca terra fertilior eſt: Ita fuſca mulier eſt lacte pinguiore. Præſertim ſi colori fuſco, admixtus ſit cum albedine rubens. Verum ſi calidioris ſit infans conſtitutionis, candidior, cujus frigidius lac fuſcæ præferatur. Sit & figura corporis ei concinna: Nam forma externa, interioris diſpoſitionis nota eſt. Item partes omnes æqualiter temperatæ, ſanguiſque non multa bile flava; Atra pituitoſo, aut ſeroſo humore, abundans: Nam qualis temperatura ſanguinis, talis eſt lactis.

Quarto ſit nitida, munda bonis moribus prædita, alacris, caſta, ſobria hilaris, diligens in puero conſervando, non quæ citiſſime paſſionibus Animi afficiatur: Nec penitus obtuſi ſenſus, ſtupida aut ſomnolenta aut gulæ dedita: Nam vt dictum ſuperius infantes mores & ingenium nutricum vna cum lacte imbibunt. Ac paſſiones, ejuſmodi qualitates lactis, & cum eo temperamentum lactantis pervertunt: Ideo cautum fuit à legis latoribus, nullam ſtolidam nutricem admittendam. Alii ne matri quidem fatuæ, temulentæ, inerti

ſomnol

ſomnolentæ, aut balbutienti, nutricatus officium concedunt: Nam non raro ſomno vinoq; ſepultæ, infantes quos ſibi & papillis admoverunt inter dormiendum ſuffocant.

Quinto à venere prorſus abſtineat, nam viri conſuetudine, plerumque menſes provocantur: Unde lac odoris gratiam amittit: Aut in vtero concipit, quo lactanti adhuc puello, nil calamitoſius: Præcipue ſi mater non fuerit: Nam cum fœtus in vtero, vitæ principium in ſe contineat, eique veluti radici adhærens, nec vſquam diſcedens aſſidue ſibi conveniens, aut quod optimum eſt ſanguinis attrahat, fit vt non modo minor; ſed deterior reddatur gravidæ ſanguis: Unde lac ipſum, tum pejus, tum exiguum in mammillis colligitur. Quapropter ſi mulier lactans concæperit: Aliam nutricem in veniendam eſſe conſulunt peritiores Medici. Imo ne matri lactationem vlterius permittendam, ſi infans deterius ſe habere cæperit: Vel ſi ferat occaſio, puerum ablactandum. Grandiores ſiquidem vni aſſueti, ægrius aliam admittunt. Ideo magnates plures interdum adhibent etiamſi vna præ cæteris vtantur.

Sexto conſiderandæ ſunt mammillæ, papillæque. Debet enim nutrix eſſe pectore lato, mammiſque mediocriter tumentibus, me-

diæ conſiſtentiæ inter molles & duras, tales enim ſanguinem in lac melius concoquunt Nam in vberibus juſto majoribus, vis lactis gignendi debilior eſt: Cum magis ſit diſperſa, & plus quam opporteat. Interdum lactis colligatur. Unde quod ſupereſt, moram in ipſis trahens magna cum moleſtia infantuli, ac nutricis corrumpitur. Accedit quoque quod ejuſmodi pectus nimio pondere gravent: Contra minores minus quam ſatis eſt lactis continent, præparantque. Deinde in duris, denſioribuſque, lac quaſi conſtrictum ſuffocatur, & à ſugente non facile elicitur. Ac naſo infantis tenello, moleſtia oboritur: Ut vel mammas prorſus faſtidiat, vel ſimus evadat. At ſupra modum laxæ, molles, pendenteſque ob imbecillitatem caloris, lac non bene concoquunt & dum ſugit infans, non recta fertur in gulam cogiturque ob id pendentes papillas ſublevare, & cum labore ſuſtentare. Probantur itaque ſolidæ, firmæ, denſæ moderate tamen, quæ dignoſcuntur non ſolum tactu; ſed etiam venarum tumore, livoreque, per mammas, tanquam in multiplices ramos diviſo. Nam in carne laxa, molliqne deliteſcunt venæ: Quia ſubſidunt.

Septimo papillæ debent eminere mediocres magnitudine; Nam quæ latent intro contractæ, pueri

ctæ, pueri labellis non facile comprehendantur, ſuctumque laborioſum faciunt. Similiter quoque minores juſto, ex quibus lac per anguſtos meatus ejaculatum, pelliculam inveſtientem os feriens, Apthas AUTHORE AETIO gignere ſolent, magnæ vero ſupra modum, craſſioreſve os totum implent ginginas atterunt, & linguam impediunt quo minus ſuctionem, & deglutitionem adjuvet at papillæ laxiores, & cavernoſæ, confertim lac emittunt & ſuffocationis cauſam præbent.

Octavo aſſumenda nutrix, quæ bis aut ter peperit neque abortivit, ſed infantem lactare conſuevit: Fræquens enim abortus, ab interna cauſa, in corpore aut humoribus, aliquod vitium ſubeſſe latens arguit. Ut experimento cognitum habeat CARDAN. CAP. 15. LIB. 1. DE SANIT. TUEND. Obortientium lac inſanum reddere infantem.

Nono præficienda eſt illa quæ maſculum peperit, nam ejus lac melius excoctum & temperatum eſt, minuſque excrementiceum quia ex ſanguine præſtantiori, nonnihil immutato genitum eſt: Sanguinem autem ejus, quæ marem peperit, perfectius eleboratum cognoveris ex eo quod gravidationis tempo-

pore, melius colarata sit, atque omnes actiones alacriores, vegetioresque habeat.

Decimo admittenda nutrix secundo à partus mense, ad sextum: Nam per totum puerperii mensem, sanguis ex quo lac generatur, adhuc impurus est. Et illa corporis perturbatio, quam in parturigine est passa, nondum sedata. Quæ vero infantem lactandum primum suscipiunt post sextum, aut septimum, à partu mensem, alendo plerumque non sufficiunt: Sed ante tempus aut lacte carent, aut menses profluere solent. Quod si tandem mater ipsa, vel naturali affectu commota, vel exorata, vel prætio conducta, proprium infantem, lubenter nutrire cupiat, primis quatuor puerperii diebus, lactare non debet; Nec etiam plene ante lochiorum, & puerperiorum, absolutam purgationem. Quæ accidit in masculo partu, post diem trigesimum in fœmineo, post quadragesimum, & refert HIPP. LIB. DE MORBIS MULIERUM: Interea propriis manibus, lac interdum exprimatur vel ab aliis fræquenter se fugi patiatur, præcipuè à puellis abstemiis; Ut lac vitiosum expurgetur, & novum dæfecatius paulatim attrahatur, sensimque depuretur.

IAM

IAM LAC ipſum explorandum probandumque venit, quod expeditius & faciliùs fieri nequit, quàm guſtu, olfactu, & viſu. Nam Lac optimum guſtanti, olfacienti, ſuave, intuenti, candidum conſiſtentia medium inter craſſum, & tenue, atque etiam æquabile. Ejuſmodi enim probe concoctum, temperatumque, ex laudabiliore ſanguine generatum eſt. Contra quod vitioſum eſt.

NAM Primum aut guſtui, dulce, ſuaveque non eſt: Sed vel amarum, quod dominium bilis arguit: Vel acidum: Quod melancholiæ, vel ſalſum: vel pro ratione permixtionis: Aut corruptionis humorum, aliam quampiam alienam qualitatem aſciſcit.

DEINDE Aut odore blandum, gratumq; non eſt: Sed injucundum interdum acrimonia quadam, nares feriens: Quale eſt lac rufarum, & bilioſarum mulierum. Non raro fætor aliquis, qui putredinis comes eſt percipitur.

TERTIO GALEN. In Lacte candorem laudat: Verum ARIST. Melius eſſe arbitratur, quod livorem quendam trahit: Potiùs quam quod abſolute candidum eſt. Et experientia teſtatur Lac quo ſeroſius, tenuioriſque ſubſtantiæ, eo lividius, ob nimiam copiam ſeri, ſicuti Lac equorum, aſinorumque

demonſtrat. Ideo non videtur GALEN. In Lacte optimo, quod mediæ eſt conſiſtentiæ, & tantum ſeri quantum caſei obtinet: Summum candorem exigere ſed vt ſolum modo candidum, liquidi craſſiq́ue medium, per totum æquabile appareat: Quod enim candidum non eſt, vitioſum, & redundantiam alicujus humoris oſtendit: Nam tale Lac eſt, qualis ſanguis ex quo generatur: Itaque Lac lividum, ſubnigrum, craſſæ ſubſtantiæ, melancholiæ, lividum, tenue, aquei humoris, citrinum flavæ bilis affluentiam patefacit: Spumoſum flatum, & debilem calorem, ſubrubium, diminutam concoctionem manifeſtat: Similiter quod non æquabile: Sive per totum ejuſdem coloris, & conſiſtentiæ eſt: Sed partium quaſi diverſarum improbum eſt: Et infirmitatem facultatis concoctricis mammarum, vniverſum Lac pari modo non conficientium declarat.

Rejiciendum quoque quod non eſt medium inter craſſum, & tenue: Nam quod æqualis eſt conſiſtentiæ, ſive tantum in Caſeo quantum in ſero poſſidet, non difficulter concoctionem ſuſcipit: Sufficienter nutrit, & non ita cito, nec tarde ſecidit: At quod nimis tenue, liquidum, ſive ſeroſum eſt, minimi nutrimenti: Contra quod craſſum, caſeoſum ægrè ſubigitur: Facil

tur: Facileque in ventriculo coagulatur: Sed si in probum chilum convertatur, multum alit, & obstructiones calculosque gignit. Indicatur autem consistentia, gutta vna super vnguem pollicis instillata: Nam si immoto eo diffluat, aquosi aut seroſi Lactis signum est, quod si commoto, aut depresso adhæreat, crassioris & caseosi indicium.

VERUM si haud quaquam moto vngue, persistat, nonnihil verò ad latus inclinato, sensim defluat, optimi Lactis est argumentum. PILO Etiam similiter bonitas Lactis examinatur sed melius si Lacte recenter mulcto, in vase vitreo, ad misceatur nonnihil coaguli, aut Myrrhæ, donec concrescat: Situm seri tantum fuerit, quantum casei: Laudatur sin minus vel casei, vel seri, rejicitur his notis addontur, quæ sumuntur à quantitate sive copia Lactis, vt scilicet mediocris sit, sufficiens, pro puero alendo: Non parca, aut minus larga: Etiam si melius sit hic in excessu, quam defectu peccare: Nam modica non solum puero nutriendo non sufficit: Sed etiam ob corporis, & mammarum intemperiem, laudabilis non solet esse. Immodica verò dum ab infantulo non consumitur, coagulatur: Atque non rarò corrumpitur. Quod si Lactis hæc vitiati indicia, in nutrice appareant: Non est

admittenda. VERUM si initio, suspicione omnis noxæ careat, dein post-quam Lactare cæperit, labem contraxisse deprehendatur: Quod non sine errore in victus ratione aut morbo aliquo accidisse putatur. Consultum est Lac vitiatum mature corrigere: Aut aliam priori dimissa nutricationi præficere.

INVENTA Nutrice, ne Lac ejus inquinetur; Diætæ non minimam curam adhibendam esse, monet GALEN. LIB. I. DE SANIT. TUEND. Qua-propter de ea primum deinde de vitiis corrigendis, quæ tempore lactationis, mammis, Lactique accidunt: Verba faciemus. In genere victus ratio temperata, in omnibus non naturalibus, nutrici accommodissima. Verum si ipsa, aut infans, temperamenti calidioris, Aut frigidioris sit. Nonnihil in contrarium declinet: Quare degat, in aëre temperate calido, puro, liberoque: Utatur toto lactationis decursu, cibis boni succi, non difficilis concoctionis, moderata quantitate, debito tempore, & modo: Sed primis diebus tenui victu, simplici cibo, potuque tenuiori, contenta sit: Ne lactis copia, tenellus infans obruatur.

Postea eo crescente, plenius alatur: Dum modo semper Animus divertatur, ab omnibus crassi succi eduliis: Ut Pane non probe coc-

cocto, nec fermentato, caseo veteri, ligumi-nibus corruptis, carnibus salitis, fumoque in-duratis: Ab his namque lac crassius, & caseo-sum efficitur vnde venter cohibetur: Et vri-na in debita quantitate non evacuatur: Atque cruditates, flatus vomitus, obstructiones vis-cerum, calculi, & in habitu corporis, absces-sus, furunculi, aliique complurimi morbi ge-nerantur. Abstineat quoque ab omnibus Ali-mentis, quæ tenuem, & biliosum sanguinem procreant: Cujusmodi sunt porrum, allium, tæpa, graviolentia, oleosa, ad venerem pro-vocantia, &c.

Quod corpus non sufficienter nutriant, vn-de ad manes, & crebras excretiones, per al-vum excitatur, ad diaræam disponitur, appe-titus prosternitur, in habitu corporis pustulæ acerrimæ, apthæ, in ore, & similia producun-tur. Temporis progressu conceditur lactuca, spinaceum, petroselinum, mentha salvia, bor-rago fæniculum; quæ Lactis proventum fa-ciunt: Ex fructibus amygd., avellanæ mala cocta, & post cibum, pyra, cydonia, ex car-nibus, vervecina, vitulina, hædina, gallinacea, ex piscibus tantum saxatiles, qui friabiles sunt. Potus ab initio sit cervisia tenuis, non Vi-num, aut plurima aquæ decoctionis fæniculi, aut coriandri, dilutum post meratior paulo,

& fortior Potus concedendus ſed à Vino, fumoſo & potentiori talique cerviſia, cayendum: Quod caput vaporibus repleant: Unde fræquenter, ebrietas, cruditaſque nutrici obveniunt: Quæ infantulo lactanti, maximum damnum conciliant: Nam vitioſos humores commovent, ad arcem ſapientiæ tranſmittunt, Epilepſiam, diſtillationes, multaque alia pernitioſa accidentia, producunt.

Ideo nimiam ſatietatem fugiat, & ſitim Potus exſpectet: Bis, aut ad ſummum ter, Alimentum in die ſumat, in eoque tempus: Modumque obſervet, noctu potiſſimum, dormiente puero ſomnum capiat: Verum ſi contingat vt noctem ob vigilias infantis, inſomnem traducat: Mane jejuno ſtomacho ſomno, indulgere liceat: Qui nec tum, nec alias immoderatus, nec ſtatim à cibo ſit: Nam ſi quid aliud, lactis generationi obeſt: Vigilantia præcipuè. Alvus ſit lubrica, ſponte, vel arte: Exercitia moderata ſunt maximi momenti, hinc eſt quod ruſticæ laboribus deditæ, vrbanis deſidioſæ, & ſedentariæ vitæ aſſuetis in hoc munere præferantur: Sed talia debent eſſe, vt potiſſimum brachiis perficiantur: Puerum in vlnis geſtando: Vel in cunis agitando, texendo, linteamina alumni abluendo, cubiculum à ſordibus expurgando:

vt ſupernorum membrorum calore, promptius ad mammas ſanguis perveniat. PAULUS ÆGINET. mane, ante Cibum, pectus vberaque, leviter fricare præcipit. A venere penitus eſt abſtinendum: Atque ea omnia, quæ menſes provocant ſunt interdicenda. Affectuum Animi moderatio, in nutrice ſumme neceſſaria eſt.

Quare tranquille, jucundeque vivat: Nec vlla perturbatione, imprimis ira, terrore, mærore: Aut etiam illicito amore commoveatur: Nam ejuſmodi παθηματα, vt totum corpus, & humores perturbant: Ita lac magnopere depravant. Quod ſi inter lactandum eveniat, Lac infici, vel mammas præter naturam affici: Aut alia nutrix quærenda: Aut vitia cuncta mature ſubmovenda. Vitia Lactis ſunt in quantitate defectus; Paucitaſque, & nimia redundantia: In qualitate immodica, craſſities, tenuitas, acrimonia coagulatio: Et in mammis ſuppuratio.

Deficit autem Lac; vel non tranſmiſſo ſanguine, à reliquo corpore, ad vbera: Vel ad ea non attracto, ob non ſufficientem ſuctionem: Quàm validam ſequitur. Non tranſmittitur, quia in reliquo corpore exigua eſt ſanguinis copia, vt in extenuatis, & valetudinariis: Aut ad vterum, in fluxu menſtruorum; Al

rum; aliasq; partes ob dolorem vehementem, subitum timorē, animi perturbatines, &c. convertitur. Cognita causa ex propriis accidentibus, & signis: Non erit arduum, curâ invenire: Et Lac in mammis promovere: Cui vsui, potissimum inserviunt Alimenta, boni succi, calidi, & humidi, temperamenti: Quia sanguinem copiosum producunt: Idem etiam præstant, quæ attenuando, & aperiendo, eundem ad mammas perducunt.

Quin-etiam eodem munere funguntur; Sed non propriè, quæ impedimenta removent, quibus ad mammas sanguinis attractio inhibetur: Talia sunt quæ illius in temperiem; Aut morbum corporis exstirpant. Ita lactuca & ptisana hordei, Lac generare dicuntur: Atque etiam ab AVICENNA Semen Papaveris: quod calidam discrasiam imminuant, ac primum si causa defectus Lactis, sit non transmissio sanguinis, ob debilitatem virium, affecto, vel toto corpore, vt in Febribus, vel parte aliqua ante omnia, affectus lædens submovendus: Deinde vires confortandæ; quod si causa sit in toto corpore, sanguinis inopia, ex inedia, multis evacuationibus per alvum, sudores, vrinas, item vigiliis, exercitiis, immodicis, curis: Ea persistente, tollatur: Ut alvi profluum, sistentibus. Vigilia somnum, quietem,

quietem, inducentibus, &c. Hinc victus ratio liberalior instituatur: Quæ plurimum boni sanguinis restituat: Alimentis probi succi, multi nutrimenti, non difficilis concoctionis, natura moderatè calidæ, humidæ. Qualia sunt, lac caprinum, vaccinum, & ovillum: Ex Sanis Animalibus desuptum: Ova recentia, Lac cum vitellis ovorum; Addito saccharo: Pulmenta ex oriza, decocta, primum in aqua, deinde in Lacte, cum saccharo. Panes similaginei, fermentati, beneque cocti, conditi interdum Sem. Fænic. vel Anisi. Carnes vitulinæ, hædinæ, agninæ, porcellinæ assæ: Vervecinæ, gallorum juniorum, caponum, vbera Animalium: Butyrum, cum Saccharo: Caseus recens, Amygdalæ dulces, Pistaciæ, Uvæ passæ Rapi, Pastinaca, Fæniculum.

Bibat Vina rubella, aut alba subdulcia, cervisiam mediocrem optime coctam: Et dæfecatam. Cui si Butyrum, Saccharum, & Panem addas, ac leviter coquas: Vix vllum reperies Alimentum, ex quo tanta fiat Lactis copia. Alvus laxa sit, vigilias fugiat somno moderato sese recreet, exercitationes tantummodo sint leves, non violentæ. Venus si quid aliud, nocet. Item curæ, mærores. Vita sit jucunda: Victus paulo liberalior:

Vbi cæpirit abundare ſanguis: Utendum quæ ad mammas pro Lacte generando proliceant. Si defectus ſit, quia ſanguis alio convertitur, ſedata Animi, vel corporis affectione, ad mammas revocandus: Sed ſi ob fluxum menſtruorum, à mammis, ad vterum converſus ſit: Nil melius quam nutricem mutare: Aut infantem ablactare cæterum vbi defectus Lactis eſt in qualitate, eam contemperare, & corrigere contrariis, expedit.

VELUTI Si ſit calida à copia bilis, præmiſſa humorum præparatione, purgare convenit: Deinde victum refrigerantem, humectantem, præſcribere: Ut Lactucam, endiviam, ptiſanam hordei, & ſimilia præbere: Et ſi neceſſitas exigat, ad Semen papaveris albi tranſire.

QUOD Si intemperies ſit frigida, à copia pituitæ, crudorumque humorum, purgatione opus erit: Ac ſimul non inutile, vt calefactientibus, concoquentibuſque pituita, in probum ſanguinem convertatur: Craſſa attenuentur, lenta incidantur, & ad mammas pro Lactis generatione perducatur, & promoveatur: quæ duæ iiſdem medicamentis perficiuntur: Nam quæ Lac promovent; Sanguinem attenuando, aperiendoque, ad mammas tantum allicient: Attrahunt autem, & generationem

neratione Lactis adjuvant, exercitia ſuperiorum partium, crebra frictio vberum, pectoriſque, cucurbitula, ſine ſcarrificatione ad radices mammarum admota: Fomentatio calida humida, cum ſpongia, vnctio ex Oleo Irino, aliiſque calidis: Si defectus ſit à frigida cauſa: Prodeſt Emplaſt. ex Pice, Thure, & Maſtice, vberibus impoſitum.

AVICENN. jubet mane mammas inungere, linimento ex ſtercore turdi, Oleo Olivarum, & Lacte muliebri. Intrinſecùs vero ad Lac augendum, commendatur Anethum, Petroſolinum, ſummitates Fæniculi viridis, in Aqua vel Vino decoctæ: Item Pulegium, Smyrnium Sium. Conſulit HIPP. Semen Fæniculi, & Radices quoque Excorticatas, Cum Butyro coquere, & vbi refrixerint bibere: Nec-non lumbricorum terreſtrium ℈j. Cum decocto Anethi, aut Porrum, tritum aqua dilitum.

PROBATUR Butyrii ℈j. Cum Vini potentis LIB. 1. in Potu: Paſtinaca aſſa ſub cineribus, & AETIUS ſuadet vt eodem die, vbera Lacte repleantur, Lini Sem. Cum Melle, vel paſſo delingere, aut Seſanum crudum, cum palmulis æquis portionibus aſſumere: Hinc Zythum bibere laudabatur in hos

caſu, Semen Fæniculi, Aniſi, Porri, Rapi, Sileris Montani, Radix Leviſtici, Eruca. Quarum hæc vbi ſuſpicio conceptionis eſt in vſum ducenda.

Altera vero quod nimis calida ſit; & ad venerem excitet, rejicienda: Ideoque ſi requiratur Semen tantum illius, ſumendnm. A recentioribus mitificè extollitur Chryſtallum, tenuiſſimè pulveriſatum, duorum ferè ſcr. pondere: Ex Melle vel Aqua Fænic. Cardubenedicti, exhibetur ab Andernaco Oleum Chryſtilli, cum Oleo Amygdal. dul. vel Recip. Sem. Anethi, Trifolii an ℥ſ. Chamepiteos, Sem. Fænog. an ℈j. in pulv. reducantur: Et cum ſucco Fænic., Melle deſpumato, & Butyro recenti fiat paſta: Cujus doſis ℥ij. in Vini ſubdulcis ℈iiij. vel Recip. Amygd. dul. nucleorum pinearum mundat ſeſami an ℈j. Sem. Rapæ. Fænic. dul. an ℥iſ. Erucæ ℥j. contundantur, cum Melle clarificato: Fiat mixtura: Cujus ℥ij, duabus horis ante prandium, aſsumpto prius pauxillo Vini: Vel brodii cicerum Rub. concedantur. Poterit ex prædictis ſpeciebus, cum ſaccharo, & farina, placenta fieri: Verum calida partius ſumenda: Et Paulus fræquentem eorum vſum, quæ Lac promovent damnat: Quod violentius humores

mores consumant: Et exsiccent, ideo consultum calida, frigidis superius propositis, contemperare: Quibus addi poterunt, Semina frigida majora.

In omni Lactis redundantia, quam vel penitus supprimere, vel reprimere desideramus: Prohibenda sunt, quæ sanguinis copiosi materiam submini strant: Sive eundem ad mammas deducunt. Ideo victus tenuissimus, ex cibis pauci nutrimenti, & quantitate exigua imperandus. Potus sit aqua, aut cervisia tenuior. Exercitationes fræquentes, præcipuè inferiorum partium frictiones: Somnus parcior, &c. Plurimum conferunt. Si à copia, mammæ, tristi sensatione, nullatenus afficiantur: Ne lac coaguletur, vtile censet AETIUS. Ut leviter tantum sugantur, à muliere perita: Efficitur enim hinc, vt quod præter naturam in iis continetur, potius quam aliquid amplius, attrahatur sed si doluerint: PAULUS, & teste AETIO, SORANUS Suctionem prohibent: Quod ea plus materiæ, proliceatur; Nisi levissima fuerit, & mulier lactationi assueta: Quod si animus sit, Lac ex toto non auferre: Quando plus ad-est, quàm ab infante confici queat: Vel sponte diffluit: Vel corruptionis, vel coagulationis, periculum adfert

præter hæc: Suffecerit mammis apponere linteum, ex crudo lino intinctum, Oleo Omphacino Roſato, aut menthino, vel aquæ Damaſc. Et ſi ad ſit ſuſpicio, alicujus coagulationis, Spongiam imbutam Poſca, aut Aqua, Vino, & Succo Apii. Sin Lac penitus reſtinguere conſilium ſit: Quoniam mortuus, ablactatus, vel alteri, educandus, infans eſt commiſſus: Prædictis nil juvantibus præſenteneum remedium, eſt nullo prohibente obſtaculo, venam tundere, ſanguinemque crebrius educere: Et ſi ob menſium retentionem, Lac exuberet, Saphenam aperire: Omnique arte menſtrua evocare: Deinde repellentia mammis admovere.

Verum-enim-vero cum Lac reſtinguatur: Vel repellentibus: Vel exſiccantibus: Et digerentibus, in puerpera, aut non longè à partu, ab illis cavendum: Et præcipuè his inſiſtendum: At in iis quæ lactationi valedicunt tum repellentia, tum digerentia, ſunt admovenda: Sed primum repellentia: Qualia ſunt ſpongia, aut linteum, poſca, aut ſucco Plantaginis, & cicutæ madefactum: Aut Purtulacæ Folia, trita cum aceto, impoſita: Vel apium, cum Aceto, & roſaceo. Efficatius Cataplaſ. paratur, ex Alumine, Pſillio Aceto, Oleo Roſato, & ſucco

& ſucco Coriandri: Vel ex Foliis Plantaginis, & Cucurbitæ: Cum Aceto contuſis; Vel ex fæce Aceti, cum Argilla: Probatur etiam Cataplaſ. ex Farina lentium, & fabarum. Cum ſucco Plantaginis, Oleo, & Aceto Roſaceo, quibus addi poterunt in progreſſu, digerentia: Ut ſuccus Menthæ; Apii, Crocus, Cuminum, Muria, Farina Lupinorum.

Verum ſupra modum, ad Aſtra tolluntur: Crocus, & Cuminum: Nam appenſa collo, Lac auferre putantur: Vel etiam in Aceto Acri trita, & appoſita: Quin & ſpongia, imbuta decocto Cumini, & Croci, in Aceto Acri, mammiſque aligata. Mirifice Lac diſſipat, & hoc etiam quod Recip. aceti acris ℈j. muriæ ℈ij. ſem. cumini ʒij. croci ʒj. concoquantur lento igne, vt fiat fomētatio poſtea imponatur hoc Cataplaſ. Recip. far fabarum, lentium an ℈iij. lupin. ℈ij. Sem. Cumini ʒij. Croci ʒj. Cineris rad. caulium Cineris cācrorum fluviatilium an ʒſ. Laccæ, Lithargirii an ʒij. Cum Mucilag. Sem. Fænog. & Pſillii, addito Aceto Acerrimo fiat Cataplaſma. Lac egregiè diſſipans: Nec concreſcere permittens. Quod ſi mammæ obdurerint, per fundantur hoc decocto Recip. Malvæ Sem. Fænog. Flor. Melelot. an. m. ſ. Rad. Raphani ℈ſ. Rad. Althææ ℈j. Sem. Apii ʒiij. coquantur in aqua: Et ſub fi-

nem addatur ſeptima pars Aceti Acerrimi: Ne vero Lac in grumos coaleſcat, foveantur oxycrato, & imponatur ſuccus Menthæ, & Apii, exceptus mica Panis: Vel apium viride, contuſum, cum Aceto: Vel furfures in Aceto cocti, cum ruta & ſi jam caſeoſum ſit Recip. ſucci Apii, vel Mucilag. Fænog. coaguli leporis, Olei Roſacei, Aceti fortiſſimi an ℈ſ. Croci ʒj. Myrrhæ ſcr. j. miſce & inunge prod-eſt coagulum illitum, cum butyro, oleo lini, & ſimilibus: Vel Aſſumptum in Vino. Huic etiam vſui inſerviunt, Oxymel, Sirup. de quinque Rad. & cibi attenuantes; Item Emplaſt. ex Ammoniaco: Aſſa fætida, oleo, & cera. Si ob lactis putreſcentis abundantiam, mammæ cum rubore intumeſcant: Quod à partu tertio, aut quarto die, nonnullis accidit: Cæteris non proficientibus fomentatio & cataplaſ. Bonacioli multum commendantur.

Præterea ſi lac craſsius ſit, quàm conveniat: Quod plerumq; ex vſu Alimentorum accidit: Quæ frigidum, craſſum, viſcidũ, admodumq; pituitoſum ſanguinẽ gignunt: Interdum etiam ob igneam. Nutricis caliditatem, lac adurentem, aut admiſtionem ſucci melancholici, in omnibus his conveniunt attenuantia: Sed vbi craſſities, eſt ab humore pituitoſo, calefacientia, &

tia, & incidentia, cujuſmodi ſunt oxymel. ſirup. de Rad. Sem. Aniſi, Fænic., Apii Siler. Montani, Petroſel., Eringii, Raphan. Fol. Hyſſop. Beton., Origan., Thymi initio, ſi ventriculus multa pituita ſit onuſtus: Et ad vomitum ſit proclivis cum Oxymel. Simp. vel Squil. ℈ij. in decocti Hordei, vel Raphani ℈ij. provocetur, vel ℥j. foliorum azari pulveriſ. in hydiemelite, vel cerviſia ſaccharata exhibeatur. Deinde præmiſſa, præparatione leviter purgetur: Si exigat neceſſitas, victus ſit calefaciens, attenuans: Quare cibi ſint tenuis ſucci, facilis concoctionis, quibus miſcenda Sem. Aniſi Fænic. Item Rad. Fænic. Petroſel. Paſtina. Mane propinetur Oxymel., & Sirup. de Rad. cum decocto fænic. eryngii, & mammis adhibeantur fomenta, & lini calefacientia, attenuantia, vt ſupra: Si cauſa craſſitici, ſit à calore intentiore, ſumatur frigidiuſcula: Cujuſmodi ſunt ptiſana, cremor hordei, cum oxymel. ſimp. vel ſirup. Acetoſo, de endivia, &c. Mammis vero adhibeantur; quæ ſine calore evidenti attenuant vt Cataplaſ. ex malvis, & lentibus, in Aceto coctis, inunctiones ex oleo, cum coagulo quod vim cogẽdi liquida, & diſſolvendi coagulata ſortitũ eſt. Sin lac tenuius, ſeroſiuſque ſit: Quam expediat. Curatur victu

incraſſante, ex Alimentis quæ craſſum ſanguinem generant in quorum numero ſunt Panis ſumilagineus: Extremitates Animalium, caro agnina, caſeus, vina rubella, craſſa; Si acrius ſit. Miſcenda refrigerantia vt lactuca, portulaca, &c. Somnus ſit debito longior, ſimiliter, cætera lactis vitia, in qualitate ex odore, & colore non naturali, cognita. Pro intemperie: Victus Ratione idonea, corrigenda: Nec temere purgatio in Lactantibus tentanda.

De Riliquis mammarum vitiis, non eſt noſtri inſtituti prolixius agere: Verum cum à partu, mũltis vel tempore lactationis, papillarum dolores, & fiſſuræ contingant: Earum eſt habenda ratio quod ſit inunct. mucilag. traga. cum aqua Roſ. extractæ vel hoc lini quod Recip. vng. popul. vng. de plumbo an ℥j. opii theb. ſol. in vino g. v. fiat lini. quo inungantur papillæ: Sed ſtatim abſtergendũm: Ubi infanti eſt ſugendum: Vel abluendum, vino dulci granat., confert etiam oleum de ſpermate ceti per ſe vel cum vng. pomad. vel de plumbo.

De

De Victu, & Educatione Pueri, ad ablactationem vsque, & paulo post.

CAP. 4.



QVOMODO Regendus, tractandusque sit infans, nuper natus, primis à partu diebus, superius est demonstratum. Sequitur vt de victu,& educatione pueruli, toto lactationis tempore dicamus. Hujus duæ sunt partes: Una quæ ad priorum dentium eruptionem extenditur: Altera quæ ad Ablactationem vsq; protrahitur: Et communiter circa dicimum octavum, aut vigesimum, aut ad summum vigesimum quartum mensem, accidere consuevit.

Ac primum cum corpora temperata, intra suum habitum similibus: Præter vero naturam affecta: Intra Sanitatis limites, contrariis sint conservanda: Infantis temperati Victus vniversus, temperate calidus debet esse:

Ad humiditatem nonnihil inclinans quod cæteris ætatibus, temperamento sit humidior: Ob quam etiam causam, natura in puerorum gratiam, Lac humidum Alimentum præparavit: Ideo HIPP. I. LIB. APHOR. 16. VICTUM humidum, pueris maximè vtilem scribit.

Verum intemperatis expedit, parum in contrarium declinare, & calidis, modice refrigerantem, frigidis aliquanto calefacientem Victum præscribere: Proinde infanti temperato, aër temperate calidus, aptissimus est. Ad humiditatem paululum vergens: Putus, tenuis, nulla vitiosa qualitate infectus. Versetur in loco, domoque salubri; Ejusque parte, à terra elevata, remota à nebulosis, corruptis, & malignis vaporibus: Cujus fæneſtræ, cœlo sereno, tranquilloque ob oriente mane, ab occidente vesperi, præcipuè, vt habitaculum, à pravis halitibus, expurgetur: Sed nunquam à septemtrione, hyberno tempore, nec flante aquilone, nec à meridie, tempore verno, & æstivo spirante austro, aperiantur.

Nam venti septemtrionales, in pueris potissimum, corpora condensant: Humores ex cerebro exprimunt; Teste HIPP. LIB. 3. APHOR. 5. Tusses movent, fauces exasperant, pectoris, lateriſque dolores, & similia excitant:

excitant: Contra, flatus auſtrini, quia corpora, & humores diſſolvunt: Caput gravant, auditum hæbetant, mentem, corpuſque enervant. Conſtitutione aëris gelida, pluvioſaque, in cubiculo, focus accendatur: Qui frigiditatem, atq; etiam humiditatem illius contractam ex imbribus, contemperat. Siccitates enim, imbribus vt aliis naturis, ita quoque pueris ſalubriores ſunt.

GALEN. Infantulum quo ad primores dentes emiſerit: Solo lacte cenſuit Alendum, Quod AUTHORE PAULO, circa ſeptimum menſem, communiter ſit: Aliquibus tamen citius nonnullis tarduis: Et citius, qui calidius lac ſugunt, aut calidioris ſunt temperamenti: Tardius contra. infanti recenter nato, vt dictum ſuperius. Primo omnium, alterius nutricis lac exhibendum, minime vero matris, ante quartnm diem priuſquam mammæ, à coloſtro expurgentur. Primis diebus bis aut ter, ſolummodo, lac vt ventriculus aſſueſcat, præbendum. Ætate vero procedente: Uberius Alendus: Sed quia ob ſummam humiditatem, ſubſtantia illius, promptiſſimè diſſipatur: Deinde ob incrementum, Alimentum vehementius concoquitur, & digeritur: Sæpius in die: At modice paſcendus, ſolo nutricis lacte: Quo-ad primores dentes emerſe-

rint: Modo sufficens, ad pueruli nutritionem, & accretionem videatur: Post priorum dentium eruptionem, alii cibi (non omisso) interim Lacte) primum pulticulæ, de-inceps solidiora concedenda, quod mulierculæ, experientia edoctæ faciunt: Ab initio panem, mox legumina, post carnes, & similia omnia commansa, puerorum osculis immittentes: Dura siquidem, & solidiora non sunt danda: Donec masticare, & digerere, sine detrimento valeant: Verum vsus nunc passim obtinuit ferè: Ut nutrices, matresque, defectum lactis metuentes, primis mensibus, infanti pulticulas exhibeant: Interdumque cibos paulo crassiores: Prius dentibus contritos, ingerant

Nec immerito nam non-nunquam remota (deficiente lacte) nutrice, aut mortua, cum puellus jam dignoscere incipit: Ægerrimè, alterius lac admittit: Et reperiuntur, qui potius mortem oppetere: Quam alienum lac sugere velint. In quo casu, alius cibus concedendus: Vel si fieri queat, noctu in tenebris, sub silentio, secunda nutrix admovenda: Ut papillis melle, aut saccharo, cum lacte prius inunctis, facilius ad sugendum inducatur. Saluberrimum tamen est, solo lacte, ad aliquod tempus infantem alere. Verum interim observandum: Ne mulier jejuna, & famescens,

lac

lac exhibeat: Præcipuè ſi calidius, aut acrius fuerit: Quod dum inedia præmit ſanguis facilè in bilem tranſeat. Deinde vt mane, priuſquam nutrix, mammam porrigat; Modicum lactis, bis aut ter, exprimat: Quo cuti propinquius, & à fonte caloris remotius, tanquam imperfectum exeat: Et puero ſugenti, via magis pateat.

Tertio cavendum, ne plus lactis aſſumat, quam concoqnere, & digerere valeat: Quod ſi eveniat, nutricis incuria, aut indulgentia, vt majori copia, quam par eſt repleatur: Quod deprænditur, ex ipſius pigritia, ſomnolentia, inflatione ventris, vrinis aquoſit, & id genus aliis: Nihil Alimenti præbendum: Donec concocta & digeſta fuerit repletio.

Quarto cum paulo firmiores ſunt artus: Debet nutrix operam dare, vt infans modo dextram, modo ſiniſtram manum liberam habeat: Et præcipuè, ne dextram continendo, efficiat, vt ſiniſtra expeditius vtatur: Et ſcævolus dicatur. Interea ita regendus infans, ne expaveſcat: Nam ex ſubito terrore, plerique convulſione anheloſa, corripiuntur: Atque eodem die: Vel paulo poſt moriuntur. Nec etiam nummos, acus, caſtaneas, avellanas habere permittatur: Solent enim eaſdem deglutire: Unde ſtrangulantur: Aut ex

dolore vehementi, è medio tolluntur. Primis menſibus, ſi lac nutrici, ad incrementum infanti s abundè ſufficiat: A pultibus abſtinendum: Et reperiuntur quandoque qui ſolo lacte contenti: Omnia alia reſpuunt & vix trimeſtres, pulticulam admittunt. Parantur autem pulticulæ, ex farina frumentorum cum lacte vaccino, caprino, aut ovino rarius cum aqua, addito butyro ex medulla panis, in aqua macerata, prius: Aut cum juſculo capi vervecis, vituli, cui ſacchari nonnihil, vel butyri, vel vtrumque, poterit addi: Ad detergendam emolliendamque alvum.

Farina autem non ſit cruda, quæ ſua natura, craſſa aut viſcida eſt: Sed cocta ſive prius in fictili olla, nova poſita, clibanoque immiſſa, ibique tamdiu relicta: Donec panis, vna extrahatur: Nam cruda ſi cum lacte coquatur, quantum ſatis eſt craſſitiem, & viſciditatem, non deponit: Unde vaſorum obſtructiones, calculi, flatus alvi, vrinæque ſuppreſſiones, atque alia quam-plurima mala generantur. Sin coquatur lac donec farina craſſitiem exuat, in eo, parte pingui abſumpta, craſſa & ſeroſa remanebit. Quæ eadem incommoda aut certè majora, quàm farina cruda inducit. Optimum igitur erit, pulticulas ex farina aut micis panis, cum lacte modice coctis, par

ctis, parare. Deinde poſt-quam firmati. Fuerint dentes, ſolidiores cibos, familiares reddant: Primo commanſi minutatim exhibeantur: Cavendum tamen, ne ea cura, valetudinariis, aut mulierculis committatur: Quæ maſticatis, ſuccum Alimentarium exugunt: Aut cruda oris pituita, inficiunt. Quod nil inſalubrius fædiuſque eſt. Poſt-quam puer robuſtior factus. Præter pulticulas, detur panis, non valdè durus, per ſe: Aut cum lacte mox legumina: Hinc ova ſorbilia: Ac paulo ante ablactationem, carnes optimæ Animalium.

NAM qui dum ſugunt, cibos ſolidiores mandunt: Eam minori cum moleſtia ferunt: Verum prorſus vino interdicendum, niſi valdè diluto: Sed potius cerviſia tenuis bibenda. Proſpiciendum etiam diligenter; ne ſtatim poſt ſuctum lactis; Alii cibi exhibeantur maximè qui illud in ventriculo coagulant: Aut vitioſa qualitate inficiunt. Ut Acetoſa, Salſa, Acria, Vinoſa. Abſtinendum quoque ab vnctuoſis, & quæ facilè putreſcunt: Cujuſmodi ſunt fructus horarii: Nam his aſſueti, meliora reſpuunt, & pravos humores congerunt: Unde morbi pernitioſi. Ubi puer vt Alimentis durioribus, veſci queat, & dentibus eſt inſtructus ablactandus: Sed in numero dentium,

eſt varietas nam plerumque triginta reperiuntur: Non raro viginti octo. Ex quibus in vtraque maxilla, quatuor anteriores, inciſorii dicuntur: Quia acutam aciem præ ſe ferunt: Ut cibos incidere valeant: Quibus vtrinque ſuccedunt, duo qui canini appellantur: Ut frangant, quæ ab inciſoriis ſecari non poterunt. Tandem dentes molares, in vtraq; maxilla: Alias quinque, alias quatuor: Molares autem vocantur: Quod ad cibos ſolidiores terendos, levigandoſque, exemplo molarum facti ſunt. Horum vtrinque bini, caninis proximi, columellares nominantur: Poſteriores duo ab HIPP. LIB. DE PRINCIPIIS: Dentes ſapientiæ: Quod circa trigeſimum Annum, quo ſapere incipimus erumpant.

VERUM inciſorii circa ſeptimum menſem; Canini tardius: Hinc columellares, prioreſque molares. Ad ablactationem ſufficit, pueris, inciſoriis, caninis, columellaribus ſive prioribus molaribus inſtructos eſſe: Sed ante caninorum generationem, ab vbere nullo pacto removeri debent: Iis enim naſcentibus, gingivarum dolores febres, aliaque ſeviora ſymptomata oboriuntur: Ut periculum ſit ne à lactis remotione, potius fame, quam morbo pereant: Et quia dentes hi, aliis citius, aliis

tardius

tardius exoriuntur; In omnibus non eſt certus ablactationis terminus. Nam ſi ante natos dentes, à lacte removeantur, & ſolidiori cibo nutriantur: Multis à cruditate morbis exponuntur: cum ipſorum ventriculus, adhuc infirmus ea careat ciborum, quæ in ore fit maſticando præparatione: Qua ne provectiores quidem ætate, privari citra noxam poſſunt.

Multi decimo octavo menſe, aut vigeſimo, plerumque omnes ſecundo Anno dentibus abundant: Ut cujuſvis generis cibis vti queant: Quo tempore niſi infirmæ, & variæ ſint valetudinis, paulatim cibo ſolidiori aſſueſcant. Ut à mammis ſenſim deducantur, & divertantur, ne ſubita mutatione offendantur: Nam qui vltra biennium niſi vrgeat neceſſitas, ab vberibus pendent: Tardiuſculi, & diſciplinarum minus capaces exiſtimantur.

Quare vt averſentur, amaris papillæ illinantur, nimirum Abſinthii, vel mentaſtri ſucco: Aut aloë, addito melle interdum fuligine. Dandus eſt cibus non ſtatim à ſomno: Sed in grandioribus, præmiſſa exercitatione à ſeipſis facta: In puerulis corporis frictione, & ablutione à nutrice, aliquando ploratu qui ſi moderatus fuerit, ante lac, ciboſque confert: Ad membra ſpiritalia dilatanda: Calorem nativum augendum, cerebrum caputque expur-

gandum: Sed nocet ab assumpto nutrimento: Quod deorsum pellat, concoctionem turbet & vigilias moveat veteribus vsitatum fuit, & hodie in GERMANIAE, SARINATIAE QUE quam-pluribus partibus, infantes quotidie bis lavare: Ad calorem excitandum, & superfluos humores discutiendos.

Ante lactis, ciborumque ingestionem: Et hyeme in aqua calidiore, quàm æstate, in ea verò diutius non est morandum, quàm toto corpore incalescat, rubicundiusque fieri incipiat.

TANDEM à Balneo, linteis mollibus leviter calefactis exsiccetur, foveatur, ac fasciis involvatur. Dormiat in cunis; Aut lecto pensili in loco potius tenebroso, quàm luminoso moderate calido, vbi nec ingratus odor, nec fumus, infanti molestiam exhibere queant: Stratum sit concavum, molle, curandum, vt membra omnia quam rectissimè disponantur: Et caput semper nonnihil elevetur: Quod inter dormiendum, cum cæteris corporis partibus, tegendum, linteo mundo, tenui: Ita tamen, vt libera maneat ei respiratio, nec ab Animalculis venenatis, araneis, scarrabeis, scorpionibus: Et aliis quibuscunque injuriam patiatur: Quare vt tutus, & illæsus conservetur, infans nec vigilans, nec dormiens, sine custode

cuſtode relinquendus eſt. Puero lactanti adhuc debili, in dorſum recumbere ſatius eſt quàm in alterum latus: Quia vt carina navis, ita dorsùm eſt baſis totius corporis, quod ſi in alterutrum latus decubat, periculum eſt, ne coſtarum oſſa non ſatis ſolida, laxioribus vinculis compacta, obtorqueantur, gibboſitaſque aliqua exoriatur.

Poſtquam ſolidiori cibo veſci cæperit: Senſim aſſuefaciendus eſt vt nunc in hoc, nunc in illo latere cubet. Ob concoctionis celeritatem, ſummamque corporis humiditatem, longiori ſomno indiget, puerilis ætas, quàm vlla alia ideo vigilias, eaque omnia quæ ſomnum impediunt; Fugere debet: Nec tamen nimium ſomno indulgendum: Nam ex immodico, puerorum proceritatem impediri, ac hebetiores ingeniis fieri, AUTHOR eſt A. GELLIUS Ex Varrone CAP. 19. LIB. 4. Vigiliæ excitantur pueris non ſine moleſtia: Aut ex dolore, à cauſa aliquâ internâ, quam cum loquelæ ſint expertes, non aliter indicant, quàm ploratu, clamore, iracundia, & agitatione corporis. Ejulantes infantulos placare, ſomnum conciliare ac dolorem mitigare, ſolent nutrices papilla ori indida: Deinde moderato in cunis motu nam ex vehemen-

ti concuſſione, poſt lactationem ſtomachus turbatur: Et Lac indigeſtum præcipitatur.

Tertio cantu, ſive vocis modulamine. Poſterioribus duobus; Perpetuo nutrices vtuntur, iiſque non ſolum dolorem compeſcunt: Sed etiam ſomnum inducunt: Vel hoc ipſo teſtificante natura, eos ad Muſicam, & exercitia ſuopte ingenio propenſos eſſe: Adeo quiſquis his artibus, probe ſciat vti & corpus, & Animum optimè inſtruet, vt monet GALEN. in fine, CAP. 7. LIB. I. DE SANIT. TUEND.

Verum tamen ſi adhuc in fletu perſeveret: Cauſa inquirenda, tollendaque erit: Et quia ſermone ſunt deſtituti, conjicere opportet, quid expetant aſſiduè nimirum id ſuppeditantes, priuſquam auctus dolor: In inordinatum motum, corpus animumque conjiciat: Fieri enim poteſt vt frigore offenſi, calorem: Aut calore immoderato afflicti, refrigerationem deſiderent, aut multitudinem veſtium inſtratarum, non tollerant: Aut faſcia nimis ſtricta; Vel pars aliqua contorta: Vel ab aliquo pungente læſa: Ut ab acu, vel aliquare aſpera, duraque. In involucris; Præ cæteris autem denti entes, aut ab externo aliquo offenſi: Aut alvum exonerare: Aut mejere, aut bibere, aut edere,

edere, cupientes: Perinde ac diſcruciati plorant, enormiterque ſe jectant: Inter præcipuas cauſas numeratur immundities ſiquidem infans, adeo pannos ſordidos averſatur: Ut niſi mutentur; Vel detergantur, quiete non fruatur: Ut docet GALEN. CAP. 8. LIB. I. DE SANIT. TUEND. Infeſtantur quoque pueri nimia lactis repletione, quam ſequitur ventris tenſio. Item quod ſe vertere nequeant. Quin etiam ipſa quies, ſi ſit diuturnior non parum ſolet officere.

Cùm natura, in omnibus mediocritate gaudeat: Quæ in collatione ad aliud ſpectatur: Cujus acrem conjectorem eum eſſe convenit: Qui curam infantis educandi ſuſcipit. Quod ſi nobis imprudentibns, quod infeſtat augeatur, moleſtiam corrigere tentabimus: Ilico vel præbito quod expedit: Vel ſublato quod offendit: Addito vocis modulamine, motuque in vluis nutricis. Nocturno tempore, apud nutricem in lecto tenendus non eſt infans: Donec ſine faſciis ſolutis, manibus, & pedibus libere ſeſe movere poſſit. NAM non rarò, ex negligentia, vel ſomnolentia evenit: Ut ligatus ſub ſtragulis, anhelitu, præcluſo expiret.

DEINDE Lucerna accenſa, noctu collocetur: Semper ad cunarum pedes, non ad latera, aut caput: Ut oculos aperiens, eam

directè intueri queat, non oblique, nam oculus natura lucidus, semper lumen quærit, tenebrasque abhorret: Ideo nisi ex adverso lumen infanti affulserit, quo ipse potiatur, anxie se vibrat, caput, oculosque contorquet: Unde strabositatis habitum facillimè contrahat.

QUAPROPTER Nutrices aliquæ experientia edoctæ: In cunis jacentium puerorum, vimineum arcum, pannis velatum; Subtendere solent. Quo vagos puerilium oculorum motus, contineant, & dirigant. Nec ob aliam causam nutrix lusca rejicitur quàm quod puerulum, nisi transversim intueri nequeat: Cum oculi molles, flexilesque, assidua consuetudine habitum ita inspiciendi, comparet. Quem postea deponere nequit: Nam quibus à teneris assuevimus; Pertinacius adhærent: Et vt est In proverbio, qui cum claudo habitat claudicare discit. Danda opera, vt alvus, & vesica, pro naturæ modo fluant: Debent enim dejectiones Alimentorum, ingestorum quantitati respondere. Nam qui plus nutrimenti assumunt, plus excrementorum egerere tenentur. Deinde in pueris qui solidiori cibo pascuntur, multi nutrimenti, cujusmodi sunt ova, carnes, panis similaginens, pauciora excrementa: Ex adverso cibi parum nutrientes.

nutrientes. Ut panes furfuracei, olera fructus horarii, copioſum reddunt, in genere junioribus omnibus, melius eſt neutrem liquidiorem eſſe, AUTHORE HIPP. 2. APHOR. 53. Et qui alvum fluidam habent, minùs acutis morbis, tentantur: Ut idem ſcribit LIB. DE AERE, ET AQUIS: Verum vtilius eſt multo, in his medium ſervare. Si ob alvi adſtridionem, malè ſe habere puerulus, incipiat: Prudentis erit medici, cauſas illius removere, eaque quæ alvum emolliunt, exhibere. Si lactans ſit, & vitium in lactis craſſitie conſiſtat: Aut nutrix mutanda: Aut lac corrigendum, vt ſuperius dictum: Aut alvus ſubducenda, braſſica, betæ, malvarum, mercurialis jure, prunis damaſcenis, ovis ſorbilibus, &c.

Curandæ ſunt, tam nutrices, quàm infantes, eſculentis, & poculentis, vitatis quantum fieri poteſt catharticis. Verum ſi neceſſitas eo nos adigat, per diem naturalem alia nutrix lactet: Niſi per eam quoque, infantem purgare volueris. Nam ſanguis, & lac, viribus medicamentorum inficiuntur: Ideo vt ait HIPP. 7. EPID. Lac capræ, inutritæ tithimallo, cucumere ſilveſtri, facultatem obtinet purgandi. Medicamenta tamen benigniora, iis ſunt concedenda qualia ſunt dilutum. Fol.

Senæ rhaharb. paſſulæ laxativæ, &c. Puero vero lactanti ad alvum emolliendam, injicitur cœnema ex jure carnium, cum butyro, & ſaccharo: Vel glans ſubditur: Ex melle decocto: Vel lardo, vel rad. malvæ: Aut betæ, illita butyro. Umbilicus inungatur felle bubulo: Vel butyro recente, cum pulvere ſalviæ, vel ſucco cyclaminis, mercurialis, cum oleo amygdal. amar. & axungia gallinæ, vel in grandioribus. Hoc lini. quod vermes quoque enecat Recip. ſucci mercurialis ℥j. pulpæ colocinthidis, hellebori albi, & nigri, an ſcr. aloës ℈ij. fellis Tauri ℥j. cum mellis ſ. q. fiat lini. cum goſſipio, vmbilico admovendum.

Provectioribus ætate exhiberi poterunt, jus prunorum damaſcenorum, decoctorum in hydromellite mel deſpumatum: Aut roſatum jus braſſicæ, violarum, & malvarum. Addito ſale & butyro: Caricæ cum pulpa carthami, terebinthina ciceris magnitudine: Modo ſapore ingrato, non offendat: Manna ad ℥iij. vel iiij. diſſoluta, in jure pulli, vel veteris galli ſirup. roſatus ſolutivus, diaſyreos, &c. Quod ſi alvus immodicè fluat, niſi tormin, aut dyſenteriæ metus, & febris adſit, cohibere nullatenus expedit: Nam vt Cels. Lib. 4. Alvum vno die fluere, ſæpè pro valetudine eſt: Atque etiam pluribus, dum abſit febris;

Et intra

Et intra diem ſeptimum conquieſcat. Purgatur enim corpus, & quod intus læſurum erat, vtiliter effunditur, ſin diutius fluxus perſeveret, cum dolore, atque corporis extenuatione, ſiſtere convenit, ſublata cauſa, quæ ſi fuerit in lacte nutricis tenuitas, & acrimonia, aut mutanda; Aut lac corrigendum, Alimentis, & medicamentis incraſſantibus, atque contemperantibus de quibus ſupra. Pueri ſtomacho admoveantur vng. & emplaſt. adſtringentia ſi cauſa ſit calida Recip. olei myrtini, Roſ. cydon. an. ℥ij. pulv. Roſ. Rub. baluſ. acaciæ maſtycis an ſcr. j. ceræ q. ſ. eſt fiat vng.

Si à cauſa frigida Recip. olei menthæ, abſinthii, maſtycis, cydon. an. ℥ij. pulv. nucis muſcatæ, macis, boli armeni an. ſcr. ſ. ceræ q. ſ. fiat vng. laudatur cataplaſ. ex cumino, mentha, & Roſ. Rub. cum Aceto. Grandioribus, pulticula detur ex oriza, milio, cum lacte, panatella, cum lacte amygdal. interdum nonnihil ſirup., miræ vel gelatina, cydon. in cauſa frigida: Cum ſucco vel ſirup. menthæ. In calida cum ſirup. de Roſis ſiccis, de myrto, & ſimilibus. Celebratur coagulum hædi aut leporis ſemi-ſcrupuli pondere ex aqua ſed qui de eo ſumunt, lae fugere non debent; Ne in ventriculo concreſcat.

Potus Sit Cervisia tenuis aut aqua chalibeata. Decoct. Sem. Coriandri, aut Mastycis, si gravia sunt tormina, suspendatur in potu ex nodulo laxo, hic pulvis Recip. cornu ceryi vsti præp. scr. iij. Coral. Rub. Spodii ex Ebore an scr. j. Rad. Tormentil. Nucis Muscatæ tostæ; An scr. iſ. fiat pulvis subtilis.

Si metus dysenteriæ, ad validiora procedendum, non omissis interea clysteribus, primum leviter detergentibus; Mox consolidantibus par debet esse ratio, in vrinis, sicuti in alvi dejectionibus. Nam Pueri lactantes qui multum mingunt: Atque extenuantur, valetudinarii sunt, minusque vivaces & involuntaria, crebraque vrinæ emissio, stuporem: Aut paralisin musculi claudentis orificium vesicæ demonstrat. Ex adverso vrina modica, illiusque suppressio; Cum dolore, plerumq; obstructionem aliquam in viis vrinariis, à crasso, viscidoque humore, aut lapide manifestat. Magna vrinæ copia, cum frequenti dejectione alvi, corporisque gracilitate, ex acrimonia, & tennuitate lactis, vt plurimum accidit. Cui sunt auxilio, Alimenta, & Medicamenta incrassantia; Incontinentia vero vrinæ, ob stuporem, vel paralysin musculi, ab intemperie frigida: Sæpè cum humore, vel luxatione vertebrarum, curatur remotione causæ: Quare in-

re intemperies frigida humida; Calefacientibus, exſiccantibus: Craſſities, lentor, attenuantibus, incidentibus detergentibus: Luxatio denique reponentibus, in ſuum locum removenda.

Similiter vrinæ retenſio, à glutinoſis craſſiſque excrementis, vias obſtruentibus attenuantia, incidentia, detergentia, vrinas moventia poſtulat. Calculus quæ vim habent lapidem frangendi, expellendi atque etiam dolorem ſedandi. Verum cum hæc omnia lactis craſſitiem, & lentorem, plerumque conſequantnr ſicuti infantuli lactantis, ita etiam nutricis, cura habenda eſt: Sed dum ei pharmaca exhibentur, lactatio alteri eſt committenda, quibus autem hæc fieri debeant non eſt noſtri inſtituti, ſingula minutim perſequi: Breviori tantum explicatione contenti. Quare in ſuppreſſione vrinæ ab humore craſſo, vel calculo, dolores atroces concitante, fomentationes, ex anodinis fiant quæ viam relaxent: Qualia ſunt Parietaria, Althea, Malva, Flores Camomil, Melilot. Sem. Lini, Fænog. Baccæ juniperi, &c. In aqua coctis quibus aliquid vini poteſt addi: Quin-etiam Balnea ex prædictis poſt inunctiones pubis, & perinei, cum oleo Anethi, Scorp. Lil. Alb.; Ad hoc inſuper plurimum confert parietaria fri-

xa, cum butyro recenti, vel oleo Scorp. Quod ſi alvus ſit adſtricta convenientiſſimum erit Oënema, ex decocto præcedentium, cum oleis, & terebinthina: At ſi grandior fuerit, terebinthina venita, ciceris magnitudine exhibeatur. Deinde à fæcibus, expurgata alvo; Diuretica propinentur.

Si verò calculus ſit cauſa, quæ vrinas movent: Eumque comminuunt, & expellunt ſunt conſentanea. In quorum cenſu ſunt, cineris Sang. Leporis combuſti ſcr. j. ex vino, vel jure Rad. Petroſel. Ononidis, Saxifragiæ, Fænic. Pulv. hujus ſcr. j. in ſimili liquore, vel aquis diſtillatis; Petroſel., ononidis hæderæ terreſtris Raphani cum Saccharo Recip. oculorum cancri, ſuccini albi, an ſcr. ij. Sem. Fænic. Dul., Petroſel., Cineris Leporis, Milii ſolis an ſcr. j. fiat pulvis ſubtilis. Ad validiora in pueris non eſt accedendum.

Verum ſi vrinæ curſus inhibeatur, à calculo infixo veſicæ, immiſſo cathetere, vel candela cerea, intra propellendus eſt, vt aditus vrinæ pateat. Deinde quæ lapidem, in capacitate veſicæ confringunt, ſi fieri poſſit exhibendo: Quod ſi rumpi, aut educi nequeat: Ad ſectionem, vbi vires ferunt deveniendum, vt docet Paulus aliique.

Præterea temperati infantis, calor cuſtodiend

diendus, intra Sanitatis limites, moderatis corporis, Animique exercitiis: Nam motus: Qui modum nimium excedunt: Biliosum corpus reddunt: Unde Febres, aliique calidiores morbi. Qui vero infra modum nimium subsistunt: Pituitosum, frigidumque efficiunt: Unde viscerum obstructiones, Rheumata, Epilepsia, Apoploxia, & id genus alia consequuntur.

QUOD Ad corpus attinet infantis, ante dentitionis tempus, ex seipsis nullos ferè motus perficiunt, dempto ploratu, & clamore, qui si moderate fiant; Ante sumptionem lactis, ad calorem corroborandum, membraque spiritalia dilatanda, conferunt.

VERUM à nutricibus præter frictiones, & Balnea, corporis triplex commotio puerulis excogitata est: Nimirum in cunis, lectulis pendentibus, & vlnis, seu brachiis quarum vltima, prohibetur à PAULO, nisi trimestis, aut quadrimestris sit infans: Et tantum fieri debet, ante lactis, aut ciborum vsum, motus siquidem immodicus, post ingesta Alimenta, concoctionem turbat. Sed si quis concedendus, levior sit vt ad fundum ventriculi, eadem discendant: Et post-modum somnus obrepat. Post dentium productionem, cum solidior factus infans, sine fasciis repere

incipit. Per ſe moveatur: Sed non cogendus, vt ingrediatur, ne artus ejus diſtorqueantur: Verum vt incedere aſſueſcat, initio juvandus eſt ſuſtinendo, ſub axillis ne cadat, & caput, faciemque offendat: Cujus metu, nonnulli capiti imponnnt coronam, aut circulum factum, ex panno. Laneo, & goſſipio repletum: Verum vt libere, quoquoverſum ſe moveat abſque vllo periculo, excogitatus eſt curriculus, in quo fieri poſſunt decurſus; Et oberrationes in omnem partem. Ubi defatigari cæperit, vlnis geſtandus eſt: aut in parvo ſedili collocandus, claudenduſque ne vacillet: Atque ita, vt alvum, & vrinam ſine impedimento, excernere queat.

INTERIA Sine cuſtode, nunquam relinquendus, nec cultellos, vitra, aliaque quæ nocitura ſunt, attingere permittendus, ab Igne, Aqua, Animalibus infeſtis, & præcipitiis; Removendus. Creſcentibus viribus, ſemper ſub tutela, more agni, ſedendo vel deambulando, laſcivire concedendum. Atque ita regendus eſt, donec ad biennium, vel eam ætatem pervenerit, in qua, ex ſeipſo aptus ſit, firmiter deambulare, comedere, articulate verba pronunciare, minis & monitis parere: Atque noxia dignoſcere. Ad motus, qui ab alio perficiuntur: Referri poterunt frictiones:

& Baln

& Balnea, quæ olim plurimum in vſu fuerunt. Et hodie adhuc, in multis GERMANIAE, SARMACIAEQUE Partibus, celebria ſunt: Exercitationis ſiquidem vicem ſupplent, in calore nativo, ſuſcitando, membris firmandis, & Alimento, per vniverſum corpus diſtribuendo: De frictione, & Balneatione infantum recens natorum, ſupradictum eſt. In quibus diligenter tenendum, vt inſtituantnr, poſt ſufficientem ſomnum; Eo tempore maximè, quo ventriculus, vel vacuus eſt, vel perfectè coctum, in ſe chilum continet.

Nam ſi fiant, ſtomacho pleno: Aut lacte adhnc immutato, tum corpus Alimentis crudis, vaporibuſque inde elatis, agmine malorum obruitur: Fricatur autem cum oleo dulci olivarum, tepido. GALEN. Initio Sal admiſcat, Verum ſi corpus ſit macrum; Extenuatumque, inunctio ſalita aut cum oleis, adſtringentibus non ante Balneum: Sed poſt convenire videtur. Ad conſtringendos, & claudendos poros, per caliditatem Balnei reſeratos. GALEN. Puerulum donec alterum, aut tertium ætatis Annum attigerit, mediocriter quotidie fricare, & Balnea ingredi. Atque ſi hujus copia non ſit. In concha lavare conſulit AVICENN. Verò bis aut ter in die. Sed

cum fræquentia Balnea, corpus flaccidum, & debile reddant: Pleriǫue hodie ab eorum vſu abhorrent: Nec ſuos liberos aqua perfundere, niſi fortè recens natos, ad ſordes eluendas ſinunt: quidam tamen recentiorum, infantes vſque, ad quartum menſem, ſemel abluendos volunt quotidie: Niſi major vrgeat neceſſitas. Dein ad ſeptimum alternis, hinc donec alterum Annum exegerint; & aliquamdiu poſtea bis, in ſeptimana, ante cibo vacuo ventriculo peracta concoctione, in aqua dulci, æſtate tepida, hyeme calida. In loco temperato, concluſo: Ne per poros apertos, Aër ingrediatur. Mora in Balneo ſit: Dum corpus in tumorem attollatur. Cum calore & rubore, hinc puer extergendus, atque linteis mollibus, calidis, exſiccandus. Veteres GERMANI teſte GALEN. LIB. I. CAP. 2. DE SANITAT. TUEND. Infantes nuper in lucem editos, in frigidam aquam merſerunt: Ut cutis poros denſarent, corpus roborarent, & de naturæ vigore, periculum facerent: Non ſine ipſorum vitæ diſcrimine.

CAETERUM Cutis denſiſſima duriſſimaque, ad Sanitatem vtilis non eſt: Nam cum corpoii noſtro inſtet. Duplex incommodum. Unum ab externis; Alterum ab internis injuriis, cutis rara, molliſque ab externis imminentibus

tibus malis, facilimè: Ab internis egerrimè tentatur denſa nero ſolidaque, ab internis ſæpiſſimè, vix vnquam turbatur. Ab externis raritas enim corporis ad tranſpiratum, iis quibus plurimum diſſipatur falubrior qnibus minus periculoſior vtrumque ergo exceſſum præſtat declinare: Nec frigidis lavacris, & ſimilibus adeo denſam reddere cutem, vt corporis tranſpirationem prohibeat: Nec Balneis dulcibus, ita rarefacere vt promptè, à quacunque externa incidente occaſione, lædatur: Puero tamen vtile eſt corpus molle, Balneis aquæ dulcis calentis primis Annis conſervare: Donec ad maximam partem incrementi pervenerit.

Nam intempeſtiva duritie inhibetur acerctio licet natura ad eam quã maxime ſit comparata: majores pueros, qui blãdis admonitionibus, vel minis obtemperare norunt: fricandi, lavandique occaſio, convenientiſſima eſt, cum à matutino ſomno ſurrexerint, alvum depoſuerint, deinde luſerint, ac cum cibum petierint, tum interminandum eſt, non aliter nos exhibituros, niſi frictioni Balneoque dederint locum: Sed ſi qui puellum alit, occupatione avocetur, vt tempore opportuno, nequeat illo vti, proximum erit modico pane exhibi-

to, ſine Potu; Ut quantum ludere velit permittat: Deinde cùm cibum rurſùs quæſierit fricet, lavetque: Nam bibere poſt cibum, quem Balneum excipit: Permittendum non eſt: ne præcipitacior eorum quæ veltriculus continet diſtributio, in conpore fiat, quod SANIS omnibus penitus cavendum eſt: Qui ſecundum, aut tertium Annum exceſſerunt: Sufficit tertio, aut quarto die fricare: Atque lavare.

VERUM Ab Annis, quibus pueri ſe exercere: Et luctare incipiunt: Balneo non eſt opus: Cum vicem illius ſuppleat, ante cibum exercitatio. SED hæc Veterum fricandi, lavandique conſuetudo, hodie in vſu ferè non eſt. Cum plerique SANUM Puerum, nec Medico, nec Alypta ægere arbitrentur præterea cenſet GALEN. CAP. 8. LIB. I. DE SANITAT. TUEND. In Puerulis, De Animi Motibus, & affectibus, non exiguam ſollicitudinem habendam eſſe: Quin & eos qui optimum ſortiti ſunt temperamentum non levem curam deſiderare opinatur: Ne quos Animi motus. Immodicos, incurrant: Quippe loquelæ adhuc expertes, ploratu, clamore, iracundia, & inordinato ſuo motu, dolorem indicant. Quare noſtrum erit,

erit, quemadmodum ſuperius dictum: Hunc lenire, infantes placaret illico, vel præbito quod expedit: Vel ſublato quod offendit. Adhibito etiam motu per vlnas, & vocis modulamine: Ob quam etiam cauſam inquit GALENUS ÆSCULAPII Conſilium ſpernendum non eſſe: Qui multas cantilenas ſcribi, mimoſque ridicularum rerum fieri, & melodias quaſdam inſtituit. Iis quibus vehementiores Animoſæ partis, motus corporis, temperamentum juſto calidius efficerent. Conandum ſemper eſt Animi παθηματα, ad debitum modum revocere, vt infantes incolumes, vivant.

NAM qui modum nimium, iracundia, triſtitia, curis, excedunt: Calidum, & bilioſum corpus, reddunt. Contra qui intra mediocritatem, deſidia, inertia, mentis torpore ſubſiſtunt; Pituitoſam frigidamque conſtitutionem inducunt: Unde varii morbi, de quibus ſupra. Par ferè ratio eſt, in pueris grandioribus: Niſi quod loquelæ non ſint expertes: Atque dolorem voce poſſint exprimere; Et quia monitis, minis & plagis, parere ſciant, his quod moderate deſiderant, indulgere conveniens eſt: Ac etiam quod offendit, removere concedentes aliquid ætati, & conſuetu-

dini: Sed ab eo quod noxium eſt. Et præter rationem omnem expetunt, comminationibus, & interdum etiam verberibus, prohibendi ſunt.

NE Conſuetudo in morem tranſeat, & vt fieri ſolet nimia parentum indulgentia; Ita corrumpantur vt ægre, aut nunquam, diſciplinam vllam admittant. Nam vt PLATO, LIB. 7. DE LEG. Puer, Omnibus Beſtiis intractabilior eſt: Cum enim ſapientiæ fontem, nondum abſolute compoſitum habeat: Inſidioſiſſimum, eſt acerrimum, petulantiſſimum omnium brutorum Animalium: Ideo niſi à teneris aſſueſcat: Nec remedia admittit, nec regulas, aut rationem vllam obſervat.

De

De Puerorum Victus Ratione, post Ablactationem: Deque reliquarum ætatum moderatione, ad senium usque.

CAP. 5.



Consequens Est vt de Pueri Victus Ratione, postquam lactari desierit, deque reliquarum deinceps ætatum moderatione, ad senium vsque dicamus. Post remotionem à lacte pulticulis & surbitionibus màgis adhuc, quam solidiori cibo, partiusque carne, & piscibus: Et tantum avibus montanis, vitellis ovorum, piscibus minutis, præcipuè saxatilibus, cum pane semper vtatur. Quarto ætatis Anno: Et quando vt Horatius ait in arte Poetica:

Reddere qui voces jam ſcit puer & pede certo
Signat humum, geſtit paribus colludere & iram
Colligit, & ponit temere & mutatur in horas.

Rarius quam antea pulticula, & ſorbitionibus, ſæpiùs verò, ſolidioribus, nutriatur: Ut cum pane, leguminibus, carnibus, gallinarum, hædi, vervecis, vitulorum, piſcibus friabilibus, & his recentibus, potius quam ſalitis, aut fumo induratis.

DEINDE Cùm ad luctam, trochi ludum, vehementioraque exercitia idoneus eſſe incipit: Quod circa ſextum Annum, ſolet accidere: Prædicti cibi liberalius, ac etiam interdum, paulo craſſioris ſucci, & difficilioris concoctionis, vt caro bubula, & ſimiles, in vſum trahantur: Sit potus aquæ optimæ notæ: Mulſa, cerviſia tenuis: Sed non copioſus, ne ante debitam concoctionem, cibos per corpus diſtribuat. Vinum Gal. ne guſtare quidem ſuadet; Quod impenſius calefaciat; Caput vaporibus repleat: Senſus, & judicium obtundat; Immo ne adultioribus quidem, niſi modice ſumptum, conducere exiſtimet quod ad iram præcipitet. Et ad injurias perferendas, incontinentes reddat. At ſi concedatur, multa aqua diluatur.

VERUM

VERUM initio (nam tenaciſſimi ſumus eorum, quæ à rudibus percipimus Annis.) Statim ex Divinis Oraculis, Piis, & Honeſtis Præceptis, informandus eſt: Ac blandis plerumque ſermonibus, interdum minis, vehementiores Animi motus refrænandi, propenſioque in vitia compeſcenda: Niſi adeo indomitus ſit: Vt flagris indigeat. Danda quoque opera confeſtim à teneris, ne qua ſpecies turpium, obſcænarumve rerum, oculos aureſve incurrat nec malo ſodalitio: Præcipuè, adulatorum aſſueſcat; Nec etiam molles, laſcivaſque, cantiones addiſcat. Sed Animum ad manſuetudinem componat, ac bene monentibus pareat. Qui illud quoque HORATII, LIB. I. EPIST. 2. Perpetuo inculcent.

Nunc adhibe puro
Pectore verba puer: nunc te melioribus offer
Quo ſemel eſt imbuta recens ſervabit odorem
Teſta diu.

A ſexto, aut ſeptimo ætatis Anno, ad ludum literarium mittatur, & jucundis, humaniſque præceptoribus tradatur. Qui cum gratia, atque Animi remiſſione, ſine auſteritate, & acerbitate doceant: Non furioſis quibuſdam, & plagoſis, quorum atrocitate, & ſævitia, ac Ruſticis prorſus moribus, odiſſe penæ

priùs, quam prima literarum elementa aſpexiſſe ſolet.

NAM Pueri bonæ indolis, Animi relaxatio, ad probam corporis educationem, plurimum adfert momenti: Quandoquidem vt ſcribit PLATO 6. DE REPUB. Homo ſi cum felici natura, rectam quoque Diſciplinam fuerit conſequutus, diviniſſimum animal ſolet exiſtere: Quod ſi non ſatis rectè fuerit; Inſtitutus omnium quæ in terra ferociſſimum. Itaque legum latoribus, non ſecundo loco, neque obiter cenſeri debet puerorum inſtitutio. Sed imprimis providere debent: Ut ex omnium civium numero is eligatur; Cui tantæ rei cura demandetur: Ad omnia vitæ officia optimus, & qui in hanc rem maxima cura, & opera incumbat quinquennium præſit, & alius in illius locum ſufficiatur, &c.

Circa Annum decimum, cum legere, ſcribereque, exactè didicerit; Velociterne vt refert PLATO an eleganter id faciat niſi naturæ bonitas, & dexteritas aſpiraverit, ſecure prætermittendum eſt, Muſicis & Grammaticis tradatur. Et ſi ad Literarum ſtudia ingenium habeat aptum, docendus; Ut minimè coactus ad diſcendum videatur; Ne vt dici ſolet invita minerva nam vt ait PLATO dicto LIB.

ćto LIB. DE REPUB. Mimimè decet ingenuum hominem, cum ſervili quadam coactione aliquid diſcere: Nam vt ingentes labores corporis per vim exantlati corpus frangunt, atque deterius reddunt: Ita & quæ per vim animo obtruditur, diſciplina ne vix ac ne vix quidem ſtabils. Ac firma eſſe poteſt.

IDEOQUE Per vim, ad Diſciplinarum ſtudia minimè adigito: Sed veluti ludentes, educato vt & certius ad quam rem quiſque natura ſit aptus poſſis pervidere. Circa decimum ſextum ætatis Annum cum Lingua LATINA GRAECAQUE inſtructus, MATHEMATICIS Diſciplinis, atque nonnullis aliis PHILOSOPHIAE partibus ad vigeſimum primum Annum incumbat.

DEINDE Prout fert animus Sacro-ſanctæ THEOLOGIAE Medicinæ aut juris prudentiæ ſe dedat. PLATO Puberes à Diſciplinis contenſioſis arcet: Ideoque in ſua REPUB. vetat DIALECTICAM ante trigeſimum Annum addiſcendam: Quod naturam adoleſcentum aſellotum more crebro concitatorum pugnacem pertinacem, & litigioſam reddat. NAM Cum primum Diſputationis artificium deguſtarint, eo protinus quaſi ludo quodam ad alios refutandos vtuntur; Cum verò plures convicerint, aut à

pluribus convicti fuerint eo confestim deveniunt, vt ex pristinis opinionibus ratam mullam habeant.

UNDE Ipsi, & PHILOSOPHIA propter ipsos calumniis exponitur. At natu grandiores diligentius ab hac insania declinant; & hominem investigandæ veritatis gratia disputantem, magis imitabuntur: Quam eum qui jocandi aut gloriæ studio captationibus petulanter, aliis insultant. Præsertim si in MATHEMATICIS Disciplinis exercitati fuerint, quæ demonstrationibus infallibilibus nituntur, nec Sophismatis locum relinquunt. Ideo PLATO ARITHMETICAM GEOMETRIAM atque alias Mathematicas Scientias tradendas prius censuit quam DIALECTICAM. Magnum siquidem momentum habet GEOMETRIAE cognitio, ad omnes artes perdiscendas: Quinetiam si qui natura tardiores, studio ARITHMETICAE se tradiderint, cum ad ingenii puerilis captum sit accommodum. Ut cum ludo ac voluptate percipiatur: Si nullam etiam ex ea vtilitatem reportent hoc tamen consequuntur, vt ipsi seipsis acutiores evadunt.

ET ARIST. LOGICAM Exercitatis solum in GEOMETRIA & ARITHMETICA conscripsit: Nec discentem statim

tim diſputare, ſed credere jubet. DEINDE eum qui bene dubitat, bene diſcere putat.

QUARE PYTHAGORAS quinquennii ſilentium Diſcipulis indixit: Eoſque auſcultatores vocavit. VERUM ſub DIALECTICA PLATO comprehendit METAPHYSICA, ac per DIALECTICAS Argumentationes diſſentientes, in qualibet facultate opiniones intelligit: Quibus vt juvenes ſeſe non fatigent; ſed vt parce extremis quaſi labris delibent ſevere admonet: Ne cavillandi contendiqué ſtudium in mores abeat: Atque pacem publicam turbet. Quod vt in aliis vel maximè in THEOLOGIA cernimus, nam quotquot juvenes in difficultates Controverſiarum, de Religione inciderunt, ſi quando animum ad ſcribendum applicant: Acerbum, mordax, & virulentum quid opera ſapere videntur: Qui niſi ingenia muſis alioquin aptiſſima, contentionibus immiſcuiſſent majorem in aliis, & hoc etiam genere laudem conſequi potuiſſent. Quare vt ibidem PLATO opportet moderatos & graves eſſe non inanis gloriæ lucriqué cupidos qui ad diſputationes aſſumuntur.

CONSIDERANDUM Semper, ad quod vitæ ſtudium ſit quiſque maximè propenſus, & cui decreverit incumbere. Si cum,

aut ſine ſtudiis literarum, rem militarém profiteri velit, ſpectandi gratia incaſtra deducatur: Et ſi tuto id tentari queat armis equiſq; admoveas deinde procedente ætate, equos agitare ſchiomachiæ, & digladiationi inſudare, decurrere, luctari, venari, aliaqne tempeſtive exercere permittas. Quod ſi aliud vitæ genus elegerit vt ei mature aſſuefacias, & moderatis corporis animique laboribus, calorem nativum in ſua temperiè conſervare ſedulo cures ne animus inertia, & inſitia: Corpus vero otio, & ignavia torpeſcat. A pubertate adoleſcentes, vt corpori robur concilietur, & calor innatus augeatur, exercitiis plurimum, & cibo paulo valentiori, pleniorique vtantur: Sed vinum adhuc parcius bibant, niſi bene dilutum. Verum hac ætate cohibendi, & coërcendi imprimis ſunt à veneris illecebris libidiniſque impetu, ad quem plus æquo feruntur.

Deinde à vigeſimo quinto Anno, ad trigeſimum quintum, aut quadrageſimum cibus ſit vberior & ſolidior quam vlla alia ætate, veneris, vinique vſus liberior & liberalior. Exercitia tàm animi, quàm corporis, quibus quiſque aſſuevit vehementiora ſint: Non ſolum propter augmentum caloris, vnde melior Alimentorum attractio, concoctio, & nutritio,

nutricio, nec etiam tantum ob citatiorem ſpiritus motum, tàm ſenſiles, quàm inſenſiles meatus expurgantem, ex quo celerior excrementorum expulſio: Sed potiſſimum ob membrorum duritiem, ex mutuo attritu comparatam. UNDE Corporis membra rebuſtiora redduntur, minuſque offenduntur: Quod hac ætate maximè requiritur. At ab Anno quadrageſimo ad quinquageſimum, vel quinquageſimum quintum, paulo remiſior competit, & Animi, & corporis educatio, victuſque ratio.

NAM Alimento detrahendum aliquid, vt quorum habitus jam frigeſcere incipiat: Et exercitia qualiacunque prius fuerint, pro ratione horum imminuere opporteat: Sed paulatim prout magis ad ſenium inclinant ac illas vivendi regulas in Diæta, ſive vſu rerum non naturalium obſervent, quæ ſuperius ſunt propoſitæ. Nam conſtat multos licentiore, & negligentiore victu, bonas naturas corrupiſſe: Ex adverſo complures vitioſo corporis habitu proba diæta multa naturæ vitia correxiſſe quod de ſe-ipſo commemorat GAL. CVP. I. LIB. 5. DE SANIT. TUEND. ET CAP. I. LIB. DE CIBIS BONI ET MALI SUCCI.

Plerumque Tamen corpus Sanum optimeque constitutum in omnibus quicquid agendum fuerit sui-ipsius mensuram modumque invenit. Præsertim si Animus probè à teneris instituatur, non enim talis, multo plus, vel minus justo appetit ingeritque, nec vehementibus laboribus, veneri, vigiliis, curis aut Animi Pathematis plus quam satis indulget.

Quare minus semper metuendum ne in Victus Ratione delinquat, & levioribus erratis cito damnum incurrat, in cunctis interim rebus non naturalibus, mediocritatem servare convenit, vt primo Alimenta, nec plura, nec pauciora sumantur quam quæ vbi concocta, & distributa sunt bene nutriant, etsi opus sit crescentibus aliquid adjiciatur hoc ita. Tamen fiat ne quid quam deficiat, aut redundet ad eundem modum in exercitiis omnibus, somno, vigiliis, excretis retentis Animi affectibus cæterisque medium omnis excessus observent, vt supra dictum.

Atque ita corpus optime temperatum in Sanitate perseverat ne confestim senescat in morbos incidat, ac tandem intereat. Quod si in aliquo prædictorum error sit, ejus emendandi scopus, est contrarii vsurpatio veluti si nimium

nimium pridiè fatigatum corpus ſit, aliquid de exercitatione demendum ſi pluſculum cibi aſſumptum fuerit, minùs offerendum. Atque ita in cæteris procedendum.

VERUM Dum hæc præſtantur acuratè conſiderandus corporis illius quod à mediocritate receſcit affectus num gracilius aut obæſus, durius, aut mollius, ſiccius, vel humidius, rarius, vel denſius corpus, quàm antea appareat. Quin-etiam an naturalem coloris gratiam, ac vigorem conſervet. Exceſſu cognito cauſa ejus inveſtigada erit: Rebus non naturalibus in memoriam revocatis, an ſcilicet in aliqua delictum ſit, nimirum an plus vel minùs, quam deceat cibo, potui, exercitationi, veneri, Balneo, ſomno, vigiliis, & cæteris indulgeat percepta cauſa, arduum non fuerit errorem, affectumque non naturalem è medio tollere: Veluti vbi corpus gracilius quam pro naturæ modo redditum eſt, ob vehementem & nimis concitatum motum; Leviorem, & leniorem, injungas. Similiter ſi à multa duraque frictione mollem paucamque. Si ob vigilias, ſomnum imperes, ſi ob cibi paucitatem plus adjicias ſi propter alvi fluxum aliamve evacuationem; ſiſtas, &c.

AD Eundum quoque modum ſi corpus vel obæſius, craſſius, vel mollius, juſto fuerit remediis cauſæ contrariis ſubveniendum erit. Obæſius fit corpus molli frictione, exercitatione pauca, tarda, ſomno longiori, aut copia ciborum optimè concoctorum: Durius autem redditur frictione dura cum linteis aſperis exercitatione robuſta aſſumpto conſertatore in pulvere duro, frigido ſine vlla Apotherapia, Potus penuria, cibis ſiccis, Balneo frigido, aut nimis calente, &c.

Contra mollius quam antea efficitur, frictione molli cum pinguedine; Balneis tepidis exercitiis tardis exiguis plerumque poſt potum vberiorem, & cibos copioſos natura humidiores, ſomno longiori, & ſimilibus ſiccus affectus, cum duro ſemper conjunctus eſt: At cum mollitie non neceſſario humidus. Nam humidus affectus cum madore cutis eſt; Mollis abſque eo, deinde poteſt eſſe caro indurata ex qua tamen mador ſudorque erumpat. Humidus autem affectus potiſſimum oritur, ex raritate corporis, magna loci caliditate, & repentina aëris mutatione ad caliditatem, & humiditatem vergente: Nimia Balneorum frœquentatione, immodica molli frictione, potione vberiore cibis humidioribus

ribus ſomno longiori, &c. Contra ſiccus affectus ex potus cibique defectu vigiliis ſollicitudine, &c.

ORIGINEM trahit. Eadem ratio eſt affectuum, vt Symptomatum, ventriculi, jecoris, aliarumque partium quæ eveniunt, vitio objecti, ſive eorum, quæ ad illud pertinent.

NIMIRUM Ex errore in VICTUS RATIONE quos omnes affectus, ex ea provenientes quotidie corrigere poteris, priuſquã malum inauctum curatu difficilius evadat.

QUOD Fit contrarii exceſſu quare ſi vna cum his, atque acurata corporum cognitione, ſingulorum remediorum facultates adjunxeris, non modo SANORUM valetudinem tueberis, ſed etiam ægrotantibus medeberis.

De Literatorum Victus Ratione.

CAP. 6.

IUCUNDICATE Literarum, quam-plurimi cousque trahuntur, vt intempestiva iis navata opera, sæpe-numero non exiguum SANITATIS detrimẽtum patiantur: Atque adeo in inultarum rerum Scientia comparãda, hanc qualitatem vtcunque adepti, corporis interim substantia destruatur.

UNDE MINERVA, Non immerito, quod nervos imminuat, dicta existimatur. Nimia quippe Animi intensione, atque cogitatione, in quærenda, investigandaque rerum subtilium cognitione, cerebrum supra modum desiccari, vel crudorum humorum sarcina, calorem nativum suffocari, experientia docet.

UT Non sine Ratione, melancholia, & pituita, literatorum pernitiosissimi hostes sint habendi; Quibus è medio tollendis, vel saltem,

ſaltem, ne quid noceant, ſubjugandis; Diætæ, ſive Victus Ratio, eſt maximè neceſſaria.

Imprimis ergo verſentur in Aëre, Puro, Lucido, Moderate Calido; vel Sponte, vel Arte facto. Exercitationes maximè congruunt, quæ cunctas corporis partes ex æquo moveant. Qualis eſt parvæ pilæ luſus, à GALEN. Peculiari, LIB. Deſcriptus. Qui præterquam quod corpus validum conſervat, Animum quoque vegetum alacremque reddit, ſanguinem ad exteriora evocat, quem lucubrationes aſſiduæ, intus detinent, vt nimium ſtudiis addictos pallidos conſpicimus vnde illud PERTII.

At te nocturnis juvat impalleſcere chartis.

Hujus vicem ſupplet pila palmaris aut reticularis.

CIBI Sint probi ſucci, minimi excrementi, facilis digeſtionis, flatus expertes: Quales ſunt carnes pullorum, gallinaceorum, perdicum, phaſianorum agnorum, vervecum juniorum, eorumque jnſcula; Ova recentia, ſorbilia, panis ex pura farina triticea, probe coctus, & fermentatus. Salita, frixa, vt invtilia rejicienda. Potus, ſit vinum album, aut rubellum, tenuè. Aſſuetis, cerviſia benè de-

fæcate, præparata interdum cum Cort. Capp. Rad. Borrag. Hellenii, Abſinthii, Scolopend. Menſam claudat adſtringens quiddam.

VERUM Omnia ſunt ita temperanda, vt ad ſiccitatem nonnihil inclinent, cum ea prudentiæ familiaris ſit vt teſtatur GALEN. CAP. 5. LIB. QUOD ANIMI MORES, &c. Hoc dicto HERACLITI ſplendor ſiccus Anima ſapientiſſima. Humidiora ſiquidem pituitæ gignendæ accommodata; Cujus affluentia, memoria offunditur, judicium labefactatur. Varietas in cibis vitanda: Simplicibus, & paucis, natura eſt contenta.

A Cœna, & Prandio, nihil bibendum: Nec ſtatim literis incumbendum, niſi tribus, ad minimum horis tranſactis. Poſt Cœnam, graviora potiſſimum ſtudia, non ſunt tractanda; Alio enim revocatis ſpiritibus, Alimenta cruda in ventriculo relinquuntur, & vaporibus ſublatis, dolores & capitis gravedines conciliantur. Somnus nocturnus maximè idoneus: Moderatus tamen, nam multus teſte PLATONE, LIB. 4. DE LEG. Neque corporibus, neque Animis, neque rebus gerendis, ex natura aptus eſt. Nemo profecto dum dormit, vllius eſt prætii nihilo magis

quam

quam qui non vivit. Qui igitur vitæ & ſapientiæ curam gerit, plurimo tempore vigilet, id tantum providens, atque obſervans, vt ſomni tantum capiat quantum poteſt ad Sanitatem pertinere, ad cujus conſervationem non multo opus eſt, dummodo ſit rectè conſtitutus ſomni capiendi modus. Oriente ſole Animus ad ſtudia qualiacunque capeſcenda promptiſſimus. Hinc ſuadet PLATO 7. DE LEGIB. Ut prima luce pueri in ludum literarium proficiſcantur. Atq; DEMOSTHENEM opificum ſedulitatem, & antelucanos labores, vigilia tempeſtiva, praveniſſe legimus Aurora ſiquidem, Muſis, & Studiis Amica. Quæ tamen nimium non ſunt protrahenda. Nam quod caret alterna requie durabile non eſt.

LIBER Interim debet Animus eſſe ab omnibus curis: Ægrè namque fert, in multa, difficiliaque negocia, ingenii, diſtractionem. Refocillatur tamen ſubtiliorum rerum cogitationibus, relaxatione interpolata: Vel eorundem, in faciliora, amænioraque permutatione, acies enim mentis, noctes, dieſque iiſdem intenta, obtunditur. Viſtigiis ergo SENECAE inſiſtamus, EPIST. 10. De ſe ſcribentis ſoleo in aliena caſtra tranſire, non

tanquam transfuga; Sed tanquam explorator. Varietas siquidem delectat; Et consueta fastidientem, recreant: Ut facillimè ad priora reditus fieri queat.

BILIS ATRA, Dum intra cancellos naturæ accommodatos, coërcetur, industrios & sagaces reddit. Unde ARIST. Quæst. 1. Sect. 30. PROBL. Quotquot vnquam clari, & excellentes Viri, vel in Studiis PHILOSOPHIAE, vel in REPUBL. administranda, vel in Carmine pangendo, vel in Artibus exercendis, Melancholici fuere. Quod si plus quam par est succesſat, vt metum, tristitiamque inducat, sine manifesta causa: Præter convenientem VICTUS RATIONEM, Cui tantum in esse virium, affirmat GALEN. LIB. 3. CAP. 7. DE LOCIS AFFECTIS, Ut ea sola, cum Balneis, Sanitati multos restituerit, Catharticis educenda, clementioribus primum, dein valentioribus, non pilulis, ob exsiccationis periculum; Sed potionibus ex de coct. Rad. Capp. Tamariſci Scorſoner. Borag. Hellenii Buglos. Capil. Veneris Betonicæ Funar. Meliſ. Cuſcut Abſinthii, Chamedrios Sem. 4. Frigid. Aniſi Fol. Senæ Agaric. Turbith. Helleborinigri, quod ſatis benignum Medicamentum,

tum, vt tuto etiam pueris exhibere possit. Experientia Helleborismum Mathioli comprobant, vel Sirup. de Pomis, & Melissæ an Lib. ſ. infundantur Fol. Senæ ℥ij. Rad. Helleb. ℥j. Sem. Dauci Anisi Citri an ʒj aquæ Cinnam. ℥ſ. Stent per noctem calida. Dein Bulliant, & fiat Colatura de qua sumantur Cochlearia 4. vel 5. cum cero Lactis in quo macerentur agaricus Rhabarb.

Si necessitas exigat Nec-non aliquid eorum, quæ serosos humores expurgant; Quibus vt plurimum referti sunt Melancholici; Ut ab Hipp. Lib. De Genitura ὑδατῶδες, & Lib: De Morbis Sæpius ὑδρωπις Nomine Melancholicus succus indicari videatur: Quando-quidem plurimum in se continet seri, quod non solum quartanarii verum etiam Hypochondriaci testatissimum faciunt, qui omnium copiosissimè sudant. Hinc clarissimi Medici fontem humorum seroſorum lienem constituunt. Quin etiam Philos. Lib. 9. Prob. 5. Inquit Lienosis sanguinem Morbosum & Aquosum inesse.

Si Pituita molestiam exhibeat, vt vel difficultatem concoctionis, inflationem stoma-

chi, vel vaporibus in capite genitis, vel aliunde transmissis dentium, articulorumque dolores, aurium tinnitus, gravem auditum inducat. Evacuanda, pilulis coccijs, si plenior expetatur purgatio, vel si minor, Aloë Rosata, Pil. Alephangm. Mastichinis, de Hiera cum Agarico. Hinc Corroborandi stomachi gratia, vsus sit tempore matutino Zinziberis Nucis Muscatæ condit, vel Tab. Aromatici Rosati Diagalandæ, &c.

Fomentat. cum Menth. Absinth. Beton. Majoran. Rosis inunctione ex oleo Mastachin. de Absinth., Nucis Muscatæ, expressæ sub ingressum Lecti, grana aliquot Masticis: Vel Thuris modicum deglutiatur, pedes caputque à frigore muniantur. Quæ præterea desiderantur ex Primo Lib. petantur.

De

De Victus Ratione quæ debetur Senibus.

CAP. 7.



B Optimo corporis ſtatu, & Sanitate receditur, errore aliquo in Victus Ratione: Grandioris ætatis vitio: Aut affectu, à prima generatione innato. De Conſervatione optimi corporis ſtatus, accommodata diæta, deque corrigendis erroribus, qui ex ea proveniunt ſuperius eſt dictum. Reſtat vt de regimine Senum ne in morbos labantur, & immatura morte è medio tollantur verba faciamus. Cum reliqua quæ ad artem ſalubrem ſpectare videntur, ex iis quæ ſunt explicata, vel inferius tradenda, facillimè percipiantur.

Pars illa Artis ſalubris quæ Senum incolumitati proſpicit, & gerocomice dicitur, ei ſimilis eſt, quæ convaleſcentium curam ſuſcipit & αναληπτικη vocatur. Quia vtraque ſimili Victus Ratione abſolvitur. Verum hoc ſolum

intereſt: Quod convaleſcentium vires, ſubinde augeri, & integrum reſtitui, Senum autem, tantum conſervari poſſint: Cum vt intendantur, ob defectum caloris vivifici, facultate naturali deſtituantur. Quod vero in Senibus vt convaleſcentibus ejuſdem rationis Victus exigatur, evenit, ex diſpoſitione conformi, quæ in paucitate ſanguinis & ſpirituum, ſolidarum partium ſiccitate, virium debilitate, ac deinde totius corporis frigiditate, conſiſtit. Verum de victu ſenum tantum hoc loco a nobis eſt agendum, Senectus à Longæ vitate proveniens naturaliter ſubſtantiam partium ſolidarum reſpicias, ſicca & frigida, ob conſumptionem humidi primogenii, in quo reſidet calor nativus cujus ratione partes corporis cum eo paulatim diffluunt: Unde membra organica exſiccantur, & actiones debiles redduntur.

Deinde vbi aridiora ſunt facta, corpus exangue, gracile, rugoſum, & ad motus invalidum efficitur. Et ſi vero frigida ſicca intemperies ſenibus nativa ſit, quia tamen concoctioni Alimentorum diſtributioni, nutritioni, & reliquis functionibus plurimum adverſatur: Cumque ipſum ſenium talis affectus ſit qualis in cæteris ætatibus morbus. Ideo victus ratio, quæ debetur iis non conſervativa: Sed præſervativa,

vativa, & correctiva eſt. Atque non ſimilibus, ſed contrariis abſolvitur: Cujuſmodi eſt humectans, & calefaciens, quæ ſenum ſiccitatẽ, frigiditatemq; corrigit, & humidi primogenii conſumptionem retardat, ac ſpirituum, ſanguinis, ſolidarumq; partium ſubſtantiam reſtaurat. Ideoq; perficitur iis quæ velocem, & citam refectionem præſtant: Velocem quidem, non ſimul, & ſemel, qualis requiritur in animi deliquiis, ſed continuo durante vita: In numero quorum ſunt, primario æſculenta, poculentaq; quæ brevi temporis ſpatio, ſanguinem & ſpiritus reficiunt: Vel deficientem ſubſtantiam reſtituunt: Secundario, quæcunq; concoctionẽ promovent, & ſanguinem, ſpirituſq; non diſſipant, nec eorum generationem, vllo pacto impediunt: Aut corpus exſiccant ideoq; venus, exercitia multa, vehementioraque, evacuationes copioſiores, vigilia, & ſimilia nullatenus ſenibus conveniunt. Tuta vero ſunt quæ, nec ratio qualitatis, vel quantitatis, nec ex accidente iis obeſſe poſſunt; Sed quæ vires reparant, corpuſq; humectant, & calefaciant.

Qualia ſunt cibi natura humidi non admodum calidi, cum vehementer calefacientibus vis exſiccandi ſit inſita vini potio dulcis aquæ Balnea exercitatio moderata, &c. Quemadmodum in diæta: aliarum ætatum, labor cibum

præcedere debet etiamsi Homerus his verbis:

Vt lavit sumpsitque cibum, dat membra queti
Namque hac justa seni.

Motus, & Exercitiorum non meminerit, sed Balnei tantum, quod olim exercitationum finis erat, & in provecta ætate, vicem eorum supplet. Nam senum non secus quam juvenum corpus exercendum est; Ne calor nativus elangueſcens, extinguatur: Atque interdum etiam magis: Cum nonnulli reperiantur qui potius quietem postulant, quæ senectuti maximum damnum infert: Quippe in ea nativus calor admodum debilis, vt exigua flamma, levi vento excitatur, pari ratione blando motu accenditur, atque intenditur. Quare senibus exercitationes tantum remissæ moderatæque conveniunt. Quarum prima pars tempore matutino, depositis prius alvi vesicæque excrementis. Fuit olim frictio mollis, cum oleo dulci copioso, quod non solum lassitudinem sanat, priusquam aucta febrem adferat; Sed etiam ad nutrimenti attractionem, distributionem & concoctionē, plurimum confert.

Ita non pauci juvenes, qui in Atrophiam inciderant hoc præcipuè remedio carnis incrementum compararunt. Post frictionem; deambulationes vel gestationes sequantur: Verum citra lassitudinem, habita virium ratione,

nam non exigua est in senibus differentia. Sumitur tamen conjectura de forma exercitationis, quæ commoda, aut noxia illis videtur, ex naturali corporis constitutione, consuetudine, & ex vitiis denique, seu morbis quibus senectus solet esse obnoxia.

Ac primum quando senex cum juvene comparatus, sit multo debilior exercitia moderata requirit particulatim vero, membra natura infirma, minus exerceri debent, quam validiora, nam quod ab initio minus rectè temperatum: Aut conformatum movendo deterius redditur. Quare in valentioribus partibus, sunt exercitia suscipienda quippe cum illis etiam aliquo pacto reliquæ exercentur. Debilibus vero feriari vtilius est. Deinde consuetudo modum, & rationem exercitiorum præscribit. Nam quæ consueta sunt delectant quæ insueta molestant, citoqae satietatem inducunt. Unde Hipp. 2. Aphor. 49. & 50. Adsueti consuetos labores ferre, etiamsi fuerint debiles: Aut senes non adsuetis fortibus, ac juvenibus facilius ferunt. Et multo tempore consueta etsi deteriora fuerint: Inconsuetis, minus molestare solent: Nam consuetudo acquisitia, quædam natura est. Quare senes consuetis vtantur, ita tamen vt aliquid de vehementia remittatur, pro virium debilitate, quarum imprimis habenda

est ratio. Tertio corporis affectus præter naturam exercitationis formâ definiunt, quemadmodum enim partes naturaliter languidæ, non sunt exercendæ ita quoque quæ morbo aliquo tentari consueverunt: Quare qui levi occasione Cephalalgia vertigine Epylepsia Opthalmia, aut Odontalgia corripiuntur iis caput deorsum inclinando, aut in humo volutando; aut quamlibet partium superiorum immoderatius movendo: Unde caput vaporibus repleatur, exerceri nō expedit. Interim deambulationes, equitationes, cursus mediocres, in vehiculo, & similia citra tamen defatigationem concedi possūt. Ex adverso quib⁹ pedes sunt exægritudine infirmi, partium inferiorum motus, vitabunt: Et superiores disco, lapidis jactu, & id genus aliis exercebant. Quibus thorax invalidus, inferiorum partium exercitatione confirmantur. Stomachus vero, jecur, lien, renes, vesica, aliaque infimi ventris, vt sunt in medio sita, ita ab vtrisque ex æquo sublevantur.

Cæterum in frictionibus, & exercitiis, est aliquid discriminis. Nam partibus morbosis, quo tempore laborant adhibendæ nō sunt, vbi vero sanæ sunt optimo jure permittuntur, quāvis postmodum dolores revertantur, ea tamen conditione, vt ad minimum duabus, aut tribus horis, paraxismum antecedant. Nam inde robur acq

bur acquiruut & consuetas fluxiones minus admittunt. Atq; hæc ab omnibus cujuscunq; ætatis fuerint, deligenter sunt observanda.

Verum quæ de non exercendis imbecillis partibus, dicta sunt ad solos senes pertinent, Cum aliis, valetudinariæ, exercitiis corroborentur, eoq; magis quo à senio longius absunt. Veluti si cuiquam gracilia sint crura ea picare modice fricare deambulatione, & cursu potius, quam vlla quavis exercitatione vti conveniens est. Eadem ratio est in brachiis, aliisq; partibus extenuatis curandis. Verum nulla ejusmodi exercitatio membris debilibus, nec etiam toto senis corpori, si vires languidæ sint confert. At diligenter animadvertendum vt senium non ex annorum numero: Sed juxta virium robur debeat æstimari. Quo enim infirmius, eo leviores motus sustinet, quales sunt gestatio, frictio, post & etiam citra exercitationes. Cõmendatur à veteribꝰ, præmissa levi frictione balneum aquæ dulcis, moderate calidum in quo moretur donec corporis moles nonnihil augeatur. Cum substãtia partium solidarum, senibus frigida & sicca sit: Ideo victum calefacientem & humectantem desiderat. Verum quia ob defectum caloris nativi, multis pituitosis crudis & serosis humoribꝰ onusti sunt: Unde obstructiones, calculi, catarri, cachexia, &c. In diæta ex

tis quæ attenuant, incidunt & deſiccant, aliquid exhibendū: Ac rurſus ſine mora, ad humectantem victum redeundum: Aut ſaltem attenuantia, & incidentia miſcenda. Quare ſenum alimenta ſint facilis degeſtionis, vt nec craſſum lentum, & corruptum humorem: Sed laudabilē ſanguinem gignant. Cujuſmodi ſunt panis triticeus, autopyros fermentatus, ſalitus in clibano bene coctus, ptiſana hordei, cum exiguo piperis ex olerib⁹, lactuca, malva, beta, & interdū condimenti loco, humores craſſos, attenuandi gratia, ſalvia, hyſſopus, roſmarinus, petroſel. paſtinaca, raphanus, porrum, fænic, dulce quod ſenibus multum prodeſt. Cum nutrimentum, per membra diffundat, & qua facultate lac, eadem, humorem alimentarium augeat. Ex fructibus paſſulæ pingues, cappares, piſtacea, nuclei pinæ recētes, amygdala, pruna damaſc. olivæ muria conditæ. Ex carnibus hædi, vervecis junioris, pullorum gallinaceorū, perdicis, turturis, aliarumq; avium montanarum. Piſces ſaxatiles, & peloſgici mollis, & friabilis carnis, ex jure albo. Ova gallinarum, perdicum recētia, ſorbilia tantū. Mel defæcatum, cum pane. Vitandi ſunt, panes non fermētati, bellaria, aut placētæ, ex butyro & melle, braſſica, lenticula, milium, panicum, oriza, cum lacte vaccino cocta, caſtaneæ, lupini, fungi. Præterea caro omnium

nium animalium ſeneſcētium, præcipuè caprina, cervina, bubula, porcina, agnina, deinde avium paluſtrium, aut aquatilium craſſæ lentæq; ſubſtantiæ, difficilioris concoctionis, vt anſerum, anatum, olerum, &c.

Ova ad duritiem cocta, aut in ſartigine frixa. Caſeus vetus, piſces glutinoſi, quales ſunt, anguillæ tincæ teſtacei cartilaginei, &c. Lac inter cibos, qui ſenibus cōveniunt, poſtremum locum, non obtinet. Nam nonnulli, eo ſolo, cum pane, diutiſſimè vixerunt. Verum abſolutè, omnium ſenum alimentum, ſalubre non eſt; niſi in ventriculo probe concoquatur, & nullum inde incommodum ſentiatur. Hujuſmodi eſt lac caprinum, mediocris ſubſtantiæ, aūt quod eo tenuius, eſt aſininum. Nam vaccinum, multo craſſius eſt caprino: Et ovillum, omnium craſſiſſimum. Probatur itaq; lac caprinum, animalis florentis ætatis, boni habit⁹, optime nutriti, in paſcuis. Modo ſal, ſaccharum, aut mel, adjiciatur. Ut coagulatio, in ventriculo prohibeatur. Quod ſi caput doleat, & nidorem, vel acorem contrahat: Aut tenſionē, vel obſtructionem, in hypochondriis pariat; maximum nocumentum adfert. In potu vinum vt pueris alieniſſimum: Ita ſenibus accommodatiſſimum. Unde Plato 2. lib. De Leg. pueri ad annum decimum octavū, vinum omnino

non geſtent. Nam haud quaquam opportet, ignem, igni, & in corpus, & in animum, infundere: Donec ad conſtantem ætatem provecti, pares ſint laboribus ferendis: Eſt enim, etiam atq; etiam providendum, vt furioſum juventutis habitum, caveamus.

Deinde vt vino, moderate vtantur, ad annum vſq; ætatis, trigeſimum: Ab ebrietate vero, & vini ingurgitatione, juvenes omnino abſtineant: Sed cum ad quadrageſimum annum pervenerint, in conviviis, genio liberius indulgento, DEUM invocent, qui vinum hominibus eſt largitus, ad levandam ſenectutis auſteritatem, tanquam pręſens quoddam, & opportunum remedium: Ut illius beneficio, tanquam reviviſcere, vt ita dicam, videamur, ſubeatq; quibus animus offenditur, atq; percellitur, oblivio, & ipſa illa durior, ex ætate, animi affectio, ſicuti ferrum, in igne emolliatur, & flexibilius fiat. Verum ſit tenuis ſubſtantiæ, coloris fulvi, aut flavi, æſtate dilutum, hyeme meracũ.

Nam partes ſenum omnes, calefacit: Vires reficit, cito ſecedit, ſerum per vrinas evacuat. Sed quando ali, liberius deſiderant, & àquea humiditas, in vènis deficit, conceduntur vina pallida; aut flava, ſimul & craſſa; quia ſanguinem augent, & multum nutriunt. Verum tenuia, quia diuretica, viaſq; vrinarias patentiores red

res reddunt, gratiſſima. Dulcibus, vero & pallidis, parcius vtendum; & potiſſimum à Balneo, vina autem. Nigra, acerba, auſtera, omniaq; craſſa, penitus fugienda, cerviſia in his locis ſeptemtrionalibus pro vino concedenda, ſed paulo potentior, ex hordeo bene cocto, & defætato, laudabilis ſubſtantiæ, jucundi ſaporis, & odoris: Non craſſa, aut turbida, nec recens: Sed quæ, ad vreteres cito tranſeat, nec in hypochondriis hæreat. Commendantur potus, aut vina, ex melle parata, vt hydromel, ſive aqua mulſa, medum recentiorum, maximè quibus eſt ſuſpicio calculi, in renibus, aut arthritidis, catarri, aut affectus cerebri. Concinnantur in hos vſus, potus medicati. Pro ſenibus, ex vino albo tenui, cum melle, aut ſaccharo, aut herbis ſpecificis, & appropriatis. Condiuntur in hunc finem, non ſolum vina; ſed etiam cerviſiæ. Vt pro calculo, cum ſaxifragia, beton. raph. pulv. reſtæ bovis, eringio, pro pectore, cum hyſſop. marub. tuſcil. &c. Conceduntur ſenibus, ad calorem debilem excitandum, vireſq; confortandas, vina aromatica, nec non aqua vitæ, quam ex re vocant ardentem, quod ignè facillimè concipiat. Interdum per ſe; nunnunquam addito melle, vel ſaccharo, præcipuè aſſuetis. Quod ſi coacti fuerint ſenes à præſcripta victus ratione diſcedere: Vt alimentis craſſi,

lentiq; ſucci veſcãtur: Obſtructiones, & cæteri incõmoda vitandi gratia; vſui futura ſunt attenuantia, & incidentia: Initio facto à levioribus. Nimirum ptiſana hordei præp. cum aceto, mulſa oxymelite piperato, & condimenti loco, cum cibis raphano, ſinapi, allio, pipere, zinzibere, gariophillis: Deinde procedendum ad compoſitiora ℈ſ. diatron pip. diagal. diacala. Et tandem ſoluta alvo, & meatibus liberis ad theriacam & mythridatium, & ſimilia horis aliquot ante cibos vacuo ſtomacho, aſcendendũ.

Verum obſtructionibus expeditis confeſtim ad humectantia, & modice calefacientia, redeundum: Ut partes ſolidæ reficiantur, & ſubitanea ariditas inhibeatur. Ad quantitatem alimẽtorum quod attinet, quia ſenes parum habent caloris nativi: Authore Hipp. 1. Aphor. 14. paucis ægent. exiguus enim ignis fomitis multitudine extinguitur: Et quamvis immodicus ſufficienter coquatur: Animus tamẽ, vt ait Gal. adipe, & ſanguine ſuffocatus, cœleſte aliquid pervidere non poteſt. Cæterum magna eſt ſenum differentia: aliis enim eſt viridis ſenectus, qui civilia adhuc obeunt officia: aliis decrepita. Deinde eadẽ ætate, alii robuſtiores, & vivaciores: alii debiliores. Quare ſenes virides: quo à conſiſtentia minus recedunt, plus, quo vero longius, minus alimenti deſiderant; & qui fortiores,

tiores, plenius qui infirmiores partius sunt alẽdi. Nam non tam animus, quam vires sunt considerandæ. In genere omnes, si justã ciborum mensuram excesserint, non parum læduntur, maximè decrepiti. Quocirca rationi consentaneum est: vt non tam multo cibo, quam fræquenti reficiantur: spatio temporis ad concoctionẽ dato: nõ solum in ventriculo, sed etiam in hepate: ne cibus posterior ingeratur, priori haud quaquam confecto. Idcirco securius est crebro nutire, vt ter, vel quater in die: Et singulis vicib⁹ parum: Quod facultas debilis melius perfert. Nisi vegeti adhuc sint senes, quib⁹ tantum supereſt virium; vt cibum quantum satis est ad lõgioris temporis sustentationem, semel assumptum concoquere possint. Senibus debilibus post frictiones molles, & deambulationes, veteres circa horã diei tertiam, quæ nobis ferè nona est primum aliquid cibi exhibuerunt & plerumq; panẽ bene fermentatum: Aut alicam cum melle in cujus locum substitui possunt; ptisana hordei, panatella, ex jure pulli, aut vino, panis cum butyro, admixto saccharo, seu melle, ovum sorbile, cum medico panis: vel saltem vitellũ ovi, prius in aqua bulliente, ad aliquam consistentiam coctum. Deinde post horam diei sextã, quæ duodecima est perfricatis, debite exercitatis & lotis, prãdium obtulerunt:

Et primum quiddam eorum quæ ventrẽ molliunt: ſcilicet olera ex beta, malva ſpinacea, borragine, violaria, atriplice. jus prunorũ dulcium; Deinde aut piſces molles, friabiles: aut carnes pullorũ gallinaceorũ, gallinæ, perdicis, avium montanarũ, & interdum hædorũ lactantium: At robuſtioribus vervecũ luniorum, vitulorũ, parva tamen quantitate. Sed nunquã in eadem menſa, piſces cum carnibus jungendi. A paſtu in lecto paululũ quieſcat, poſtea leviter deambulet: Aut alia quavis ratione ſe lente moveat. Veſperi in cœna, à piſcibus plerũq; abſtineat. Interim cibum boni ſucci, qui nõ facilè putreſcat, modica quantitate ſumat. Tales ſunt pulli gallinacei, perdices, galatina, &c. Nonnulli extremè decrepitis, quartã defectionẽ adjiciunt: Tribus horis ante cœnam, quam merendã appellant. Verũ ſenes validiores plenius nutriantur, nec toties ab iis cibus ingeratur: Et tantũ creſcente ætate, à priſtina conſuetudine, paulatim deducantur: æpularum diverſitate non ſatientur. Nam & juvenibus ętas, hoc vitio ſenilis fit in aëre moderate calido, domoq; conſimili habitent, & cœlo ſereno, tempore hyberno, veluti oves aprica petant: æſtate, ſicuti aves, amena, rivoſq; limpidos inviſant. Fræquenter inter virentes, ſuaviterq; redolẽtes herbas maneant. Spiritũ aſſiduè, gratis odorib⁹ reficiant, præci-

pue

puè vini. Laudatur medulla panis, adhuc calẽs aſperſa vino aromatico ori naribuſq; admota nam *Democritus* animam redditurus ſpiritũ ſolo panis olfactu diu retinuiſſe ſcribitur. Cõfert quoq; eandẽ vino irroratam & pub. gariophil. cynnam. ſemi. aniſi & nucis muſcatæ, aſpersã comedere. Ob ſiccitatẽ in vigilias ſępenumero labuntur ſenes; quæ ſi balneis, cibis, potibuſq; nõ removeantur: finita cœna, lactuca veſcãtur. Quod ſi niminm vrgere videantur; Nympheæ flores, papaverũ capita, vitium, ſalicumq; folia, aquæ incoquenda, eaq; ingreſſuris lectum, manus, pedeſq; tepide lavandi. Supprimitur nonnunquã ſenib⁹ alvus plurib⁹ dieb⁹; ob ſiccitatẽ ex eaq; ſimiliter duritiem, tum excremẽtorum tum inſtrumentorũ; vt nõ raro hinc conquerãtur, & detrimẽtum patiantur. Quopropter humectandi facultate pollentia, ſunt exhibenda. Qualia ficus recẽtes, uvæ maturæ, pruna elixa, prioriq; loco ſumpta, quæ nõ ſolum devorãda: Sed vna etiam juſculum ſorbẽdum, cui incocta fuerint, addita ſacchari, ſeminiſq; aniſi, proſumẽtis guſtu quantitate, ex quib⁹ ſi nihil percepiſſe vtilitatis videantur, mercurialis elixa, vel ex ſuo, vel carnis jure eſitata ſatisfactura eſt. Si liberalius ſolvẽdus venter, mel roſatũ, ſirup. roſ. laxativus, diacaſſicum manna in vſum trahenda: ab aliis quæ copioſius evacuant, niſi vr-

geat neceſſitas, penitus abſtinendum; quod ſequentibus diebus magis adſtringatur, vt periculi plus metuendum ſit, quam auxilii ſperandum. Quibus hæc minimè arridèt, inferne duci poteſt alvus, glande, aut injecto cliſmate, ex decocto carnis pinguioris, vel oleo dulci. Affectus animi etiam ſunt compeſcendi: Imprimis timiditas & triſtitia, quibus mirum in modum torquentur quod præ ſoribus mors adeſſe cernatur. Quam non vſque adeo græſſum accelerasſe, percuperent, ſit tamen illis ſolatio melioris vitæ expectatio, & mortalitatis vice, æternitatis fruitio, & quem-admodum ait LUCRETIUS:

Cur non vt vitæ plenus conviva recedit.

Hinc ſenex, quam lubentiſſimè. Nam inevidabile fatum, cum pallida mors, æquo, pulſet pede, pauperum tabernas, regumque turres. Ejuſque legibus, juniores etiam colla ſubmittant: Nullaque alia via, ad vitam cœleſtem pateat, quam per Animæ, à corporis commercio, ſecretionem.

Hanc præſtolantes ita ſeſe componant; Ut nullo non momento, morti ſumma cum lætitia, obviam eant: Certo perſuaſi per CHRISTUM Redemptorum ne quo pacto noceat aculeos illius ademptos quare hæc BERNARDI

NARDI non tantum in ore, ſed in corde ſint:

Qui jacuiſti mortuus
In petra rex innocuus
Regas me quæſo miſerum,
Pro quo dediſti pretium.
Ac per tuam clementiam
Deducas me ad gloriam.

Quo pacto immatura Senectus inhibeatur.

CAP. 8.

PERITI Medici prudentia, non ſolum robuſtioribus, verum etiam non raro, debilioribus, in longum tempus, vita protrahitur. Siquidem PLUTARCHUS ſcribit, multos corpore parum firmo, vitam diu, ſola diligentia conſervaſſe: Quin etiam PLATO & ARISTOT. HERODICUM quendam, literarum ſtudioſum, ſuo ſeculo, infirmiſſimum, ejuſmodi providentia, Annum

ferè centesimum impleviſſe, memoriæ prodi-derunt. Senium tamen & mors naturalis, vitari nullatenus poſſunt: Cum neceſſario opera naturæ conſequantur. Ut nulla qualiſcunq; fuerit, induſtria Medici: Ab iis, homines immunes reddere quæat. Hoc nihilominus ſæpenumero conſequuntur, ne confeſtim obrepant: Iis maximè, quæ primogenium humidum, in quo calor nativus vires ſuas exerit, ab imminentibus injuriis defendunt: Quarum nonnullæ, violenter exſiccant, atq; reſolvunt. Ut ſunt aër ferventior, inedia, vigiliæ longæ, vacuationes immodicæ, coïtus frequens, labores vehementes, tum animi, tum corporis, triſtitia, anxietas, ira, ſollicitudines, febres maraſmodes, tabes, &c. Aliæ verò ſuffocant, obruunque, quales ſunt ingluvia, crapula, omniſque repletio, cruditates, alimenti corruptio, in ſtomacho, jecore, & venis: Vel in habitu corporis, ſuppreſſio conſuetæ evacuationis, ſomnolentia, ocium, ignavia, vſus rerum frigidarum nimius. Quare diutius vitam protrahere volenti ſcopus erit, medium omnis exceſſus & defectus ſervare.

Et ſi error aliquis incidat, contrario, matura corrigere: Ne Sanitas violetur, aut calidi nativi, violenta reſolutione, Senectus immatura, indeque mors inopinata, ſequatur. Eſt

ergo

ergo opera danda, vt omnibus modis, alimentorum concoctioni, digestioni, excrementorumq; redundantium, expulsioni, incumbatur. Nihil enim cruditate nocentius; nil alimentorum concoctione proba, commodius. Atque non solum primæ concoctionis, verum etiam secundæ, atq; tertiæ: Sed primæ, ratio maximè est habēda, cujus defectui, posteriores, succurrere nequeunt. Cavendum ideoq; ne cibi, potusq; quantitate, qualitate, atq; modo vtendi, peccemus: Nec importuna animi, aut corporis, exercitatione, digestionem impediamus: Sed ad reficiendum id, quod de substantia corporis, defluxit, & inhibendam velocem calidi nativi consumptionē, talia nutrimenta familiaria reddamus, quæ sanguinem benignum modice calidum, humidum, clarum, mediocris substātiæ producunt calidum quidē, non calore acri, humidum vero, non humore aqueo: Sanguis enim, justo ferventior, humidum nativum exsiccat, caloremq; dissipat. Frigidior, debilitat; tandemq; pessundat. Humidior, aquea humiditate, obtundit, & suffocat. Et cum facilè putrefcat, calorem nativum accendit. Sanguis quoq; sit, defæcatus, ac lucidus, non turbidus, & tenebricosus, sive melancholicus, qui vitam mæstam facit. Sit etiam substantiæ mediocris, non subtilis, qui

Evolat & rapidus tenues vaneſcit in auras.

Nec craſſus, qui in ſpiritus ægrè permutatur, & in corporis ſubſtantiam non facilè convertitur. Ubi tamẽ corpus denſum eſt; aut craſſis humoribus refertum, vt ſanguis tenuis reddatur; ad incidentia, atq; attenuantia alimẽta, divertendum. Ubi rarius, & ſubtilibus ſuccis, repletum: Ad ea quæ contraria ſunt, tranſeundum. In cæteris, media via procedendum. Nam ſanitatis ſtudium eſt, teſte Hipp. 6. Epid. ſect. 4. Aphor. 20. Non ſatiari cibis, & ad labores eſſe impigrum; labores autem, exercitiave, cibos præcedant, qui tales ſint, vt quam facilimè, in ſubſtantiam noſtrã convertantur. Verum robuſtoribus, aſſuetiſque, cibi craſſioris ſucci, qui multum nutriunt offerantur: Quales ſunt, panis ſimilagineus, carnes porcinæ, bubulæ, cæteris vero, mediocris ſabſtãtiæ, quibus glutinosũ quid ineſt; vt ſuccus membra perfundens, firmius adhæreat, & diutius ſub calore, ſine diſſipatione perduret. Attenuantes autem, ſtomacho debili, craſſiores minime tollerãti, quin & lentis humoribus abundãti, vt maximè probati, commendantur: Ac vẽtriculus robuſtior, extabilis, detrimẽtum patitur. Obſoniis, panis addatur; cujus duplum eſſe debere, nõnulli volunt ad ova, triplum ad carnes, qua druplum, ad piſces, fructuſq; horarios. Et cibum ad potum, duplum.

plum. Sed hæ rationes dubiæ ſunt, & ſecundum temperamentum, ætatẽm, tempus anni, & conſuetudinẽ, ita variant, vt nulla certa proportio, queat aſſignari. Vedendum tamen ſedulo, ne cibus, potum ſuperet. Et ſemper adſtringens aliquid, abſq; potu menſas claudat. Creber mellis vſus: Scribit enim *Athenæus Cirnios*, qui *Corſicã* incolunt ideo eſſe longęvos, quoniam mellis cibo vtantur aſſiduo. Interrogatus *Democritus*, quonam pactu diu, quis poſſet vivere: Si interna inquit, melle rigaveris, oleo autẽ externa. Et *Pythagoræ* diſcipulis, menſam pane tantũ, & melle inſtructam fuiſſe, prodit *Ariſtexenus* additq; morbum nunquam ſenſuros qui pranſuri eo cibo quotidie veſcuntur. *Pollio Romulus*, quem centeſimum annum excedentem, cum *Divus Auguſt.* hoſpes, interrogaret, quanam maximè ratione, vigorem illum animi, corporiſq; cuſtodiſſet. Reſpondit, intus mulſo, foras oleo. Nec immerito, quandoquidem mulsũ appetendi revocat aviditatem cibi, alvum mollit, frigido potu, pluribus calido ſiſtit, corpora auget multi ſenectam longã, ejus tantũ nutritũ, tolleravere, neq; vllo alia cibo; vt ait *Plinius lib. 22. cap. 24. Natural. hiſt.* Minus boni ſucci cibi, etiamſi neceſſitas interdũ cogat, parcius ſumãtur hujuſmodi ſunt, herbæ, fructuſq; horarii, cunctaq; alia putrefactioni obnoxia: quæ

humidiora pinguioraq; ſunt, aromatib⁹, aut acrib⁹ condiantur: Alioquin chymus, putredini obnoxi⁹ generatur. Cibi ſicciores, optimi ſucci, moderate ſumpti, cæteris præferuntur: modo potu temperẽtur. Et *Avicennæ* hujus generis cibos, molliorib⁹, & humidiorib⁹, ad canitiem vitandã, longè meliores exiſtimat. Nam *Hipp.* quoq; humidos, frigidoſque, citius ſeneſcere, breviſq; vitæ memoriæ prodidit. Reliqua de legitimo cibi, potus, ac cæteratũ rerũ, nõ naturalium vſu, ſuperius ſunt explicata. Verũ prẽter cõmoda, quæ ex his, in ſenes redundãt, ad vitã producendã, non minus inſerviunt, quæ vires cordis, cæterarumque partium principalium, corroborant, ſpiritũ vitalẽ, & animalẽ augent, fovẽtque: Nõ naturalẽ humorẽ, & putrefactionẽ, longius removẽt. Quod præſtant, aromata ſtypticæ facultatis, vt myrobal. Roſ. ſantala, myrtus, coriandrũ, ſuccinũ, Rad. vtriuſq; bẽ zedoaria lignum Aloës, nux muſcata, macis, cortex citri, ambra moſcus, olibanum, maſtix, ſtyrax calamita, addũtur his, crocus, cinnam.; gariophilli, zinziber, quæ cum cordialib⁹ frigidis, potius miſcẽda ſunt, vehiculi loco, vt per venas, ad præcordia ferantur, quã per ſe exhibẽda, quod nimium calorẽ intẽdant, ſunt antẽ frigida duraque, quæ ſpiritus, citra vim aliquã aromaticã, illuſtrant, facultatemq; conſervant aurum,

aurum, perlæ, coralli, lapides prætioſi, ex his aliiſq; apud medicos extant cõpoſitiones, vitæ in ſenibus protrahendæ, aut ſaltẽ conſervandæ Sanitati, acõmodatæ: quarum celebriores ſunt. Saccharũ Roſ. cum fol. auri, mirobal. nux muſcata, zinziber, cort. citri cõditæ: trifera ſaraſenica, diambra, diathameron, dianthos, elect. de gem. de ligno aloës, cõfect. alkermes, vina hippocratica: Atq; oleum cardiale quod in hunc modũ concinnatur Recip. cinnam. ℥viij ſantali albi nucis, miſcatæ, gariophil, an ℥j cort. citri recentium, ℥iiij moſci, ℈ grana x aquæ Roſ. lib. iiij vini malvatici lib. j. fiat omnium, per dies. Aliquot infuſio, poſtea diſtillatio, tandemque, olei ab aqua ſeparatio. Quod ſpiritibus refocillandis, renovãdiſque, maxime idoneum; vel cum ſaccharo, vt tabulæ fiant, mixtũ: vel ſaccharato vino, additum, vnde palato, gratiſſimũ claratum. Verũm hoc, atque illius generis reliqua non niſi magno cum judicio, ſunt vſurpanda. Nẽ impenſius calidis, humido primigenio conſumpto, mortem, pro diuturniori vita, accerſamus.

FINIS.



FINIS.